61422/P

TRACTATUS PATHOLOGICUS
DE
CATALEPSI.

AUTORE

GOTTLIEB LEBERECHT FABRI

MEDIC. DOCT. ET SOC. SCRUT. NAT.
HALL. SOC.

HALAE,
APUD IOANNEM IACOBUM GEBAUER.
CIↃ IↃ CC LXXX.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

316523

PATRUM EXEMPLO,

PRAECEPTORUM IMAGINI,

IOHANNI TIMOTHEO FABRI,

PRORECTORI OLSNENSIS SCHOLAE

MULTUM MERITO.

FILIUS OBSTRICTISSIMUS

AUTOR.

Ex libris Societatis
Medicae Edinensis

PROOEMIUM.

Quod Tibi, L. B. offero tentamen, Analecta de Catalepſi, iisque ſuperſtructam veram ejus notionem ſiſtens, paucorum, quos otium mihi dedit, dierum eſt opus. Si, ut ſtudii veritatis, quo animus nunquam ſatiatur, ſic temporis fines extendi poſſent, tantum nempe, quantum placet: equidem muneris, quod ſuis Hygea cultoribus largitur, obeundi gratia, non levem hancce opellam, ſed, ni graviorem, ſubtiliorem ſaltem, ac diſquiſitione Medicorum digniorem edidiſſem. Iam dudum enim mihi, de combinatione Harveianae et Leewenhoeckianae generationis theoria meditanti, publice de ea verba facere apud animum fuit conſtitutum. Nam prae ceteris, quas aetas recentior,

inde a ſeculo circiter, de generatione ſententias tulit, duae latiſſime patent, Harveiana et Leewenhoeckiana. Taedet jam eas repetere, utpote quas tot Medicorum libri, additis etiam obſervationibus et argumentis probantibus, luculenter exponunt. Quae vero in utramque partem diſputantur, ita mihi comparata eſſe videntur, ut, cum omnia veritatis ſpeciem habeant, oporteat Medicum animo ingenuo et a partium ſtudio alieno ea perpendentem, cui palmam porrigat, dubium haerere; quo ipſo forte factum, ut omnes fere Medicorum facile principes, recentiorum quorundam ſomniis miſſis, alterutram modo ſententiam ſint amplexi. Operae idcirco pretium mihi viſum, de conjungenda utraque paulo diligentius cogitare, quidque in ea re praeſtari poſſit, tentare, inveſtigare. Quod ne nimis fidenter a me ſuſceptum eſſe exiſtimes; nam quidquid peregi, eo animo aggreſſus ſum, ut periculum potius facerem, quam novam generationis theoriam conderem. Sub finem igitur anni praeterlapſi, in *ſocietate ſcrutatorum Naturae Halenſi*, duas huic materiae ſacratum ivi praelectiones. Quarum *una* evincere ſtudui, duo adeſſe in ovario ovulorum genera, *primi* nempe et *ſecundi* generis. Illa, ſic enim opinor, repleta ſunt rudimento homunculi, ſed vi ſeminis maſculi excitando, quo facto in ſequioris ſexus foetum abit, mutaturque. Haec vacua quidem ſunt, ſed ad ſuſcipiendum animalculum ſpermaticum apta, eoque in ea vere ingreſſo, maſculus ſemper oritur

tur foetus. Quam ſententiam noſtram, anatomicis praecipue antiquiorum obſervatis confirmari, abunde oſtendimus. *Altera* praelectione, 1) contradictiones a Leewenhoeckianis, Harveiiano ſyſtemati et v. v. objectas, hac conjunctione ſolvi, 2) aliquas eſſe utriusque ſyſtematis probationes invictas, 3) nonnulla ex alterutro ſyſtemate recepto, inexplicabilia, hac combinatione admiſſa facillime eſſe explicatu, monſtratum ivimus. Quae, licet nonnullis placuiſſe cognoverim, aliis non diſplicuiſſe conjecerim, attamen quoniam multis difficultatibus premi ſentirem, ut aliorum judicia cognoſcerem, publico ea examini ſubjicere animus fuit. Enim vero nimis haec late patent, quin arctis limitibus comprehendi queant. Igitur minus amplam, licet non prorſus tritam, pathologicam elegi materiam, qua opinionem de Catalepſi noſtram, rationibus aeque ac obſervatis congruis munitum ivimus. Prodiit quidem Ao. MDCCLXXVI. Gieſſae Cattorum, Diſſertatio inauguralis medica, *de vera catalepſeos notione ac rationali curatione*, autore *Georgio Friedr. Schraffo.* Sed cum ei album calculum in plurimis adjicere nequeamus, (ſi hiſtorias allatas excipias) eo majori facile fructu gaviſurum eſſe puto, opuſculum quod vides, noſtrum. Erravit enim ille communem fere errorem, quod ex una, alterave hiſtoria, morbi ipſius notionem eruere conetur. Diligentius paululum ideo, non plures de Catalepſi autores, ſed fere omnes perſcrutati, *novae* ejus *hiſtoriae*,

 anti-

antiquiores addidimus, notionem Catalepſeos, differentias ejus accidentales et eſſentiales, aeque ac cauſas, obſervatis in ora paginarum citatis, aut ubi neceſſe erat, ipſis autorum verbis allatis, adduximus. Non oculis quaſi emiſſitiis aliorum errores inquiſivimus, ſed occurrentes, modeſte, ut par eſt, annotavimus; nec ut noſtris pleniorem fidem faciamus, ſed quia nobis, ſicuti *Cottae* apud Ciceronem, non tam facile in mentem venire ſolet, quare aliquid verum, quam quare falſum. Nec abſonum viſum eſt dictum ſequi immortalis Senecae: (Epiſtol. XLV.) nemini ex aſſe mancipare, multumque quidem magnorum judicio tribuere, aliquid et noſtro vindicare.

DE

DE CATALEPSI.

CAPUT PRIMUM.

SYMPTOMATA,

IISQUE

SUPERSTRUCTA, VERA CATALEPSEOS NOTIO.

§. I.

O te infelicem — (medico ſe plus quam millies vidiſſe Catalepticos jactanti, acclamavit *Henricus ab Heer*) — non puto fuiſſe mille Catalepticos, ex quo incubuit terris morborum cohors. „Equidem adjeciſſem: *rite obſervatos*. Haud enim ſoli *Foreſto* [a]), haud ſoli *Ionſtonio* [b]), et illuſtri *Baumero* [c]), quod non ignobiles medici interdum Catalepſin pro Lipothymia, pro Apo-

 plexia

a) Foreſt Obſerv. libr. X. Obſ. XLII.

b) Ionſton Theſaur. Medic. Lib. II. Cap. XXVIII. pag. 805.

c) Diſſert. Inaug. Med. *de vera Catalepſeos notione*. Aut. G. F. Schraff, Gieſſae Cattor. A. MDCCLXXVI. Vbi §. VI. pag. X. hiſtoriam Cataleptici relaturus, Praeceptorem ſuum, Ill. *Baumerum*, ab aliis medicis non cognitam, Catalepſin vidiſſe, tradit. Morbi, inquit, indolem non ſatis intelligentes, poſitis ad ſuras emplaſtris Veſicatoriis, domum redibant.

plexia &c. habuerint, obſervaſſe contigit; ſed pluribus, ſed mihi ipſi, licet praxeos medicae ſacra, quod ingenue fateor, vix ſalutanti. Cujus erroris, in theoreticis alias etiam obſervati, ſcaturiginem ex incompleta huc usque permultis accepta, ejus idea manare, non ſine ratione exiſtimo.

§. II.

Cum enim omnes morborum definitiones ita conſtituendae ſint, ut obſervatis ad amuſſim reſpondeant: propter naturam illorum altis ſaepiuscule tenebris obvolutam, atque ob ſententiarum, non raro e diametro ſibi oppoſitarum, varietatem, et diſcrimen ſymptomatum accidentale, magnam pathologi diligentiam deſiderant, eamque interdum, licet acerrimam, in tanta rei perveſtigandae obſcuritate, fruſtra fatigant. Sed nulla facile affectio tam difficulter ſive concipitur ſive explicatur, nullaque forte plures et graviores Pathologis moleſtias peperit, quam ea quae nomine venit Catalepſeos [d]), perperam ab aliis Catoche, Catochus nuncupata [e]). Nam praeter

d) Egregie jam monet Theo. *Bonnet* in Theſaur. Medic. Cap. XXVIII. pag. 802. Catalepſeos vocem accipi *late*, et *ſtricte*. Late, pro omni interruptione, v. g. Sanguinis in vaſis (quae *Hippocrati* etiam ἀπόληψις dicitur) ſenſuum, *Aureliano*; Spirituum, *Galeno*; &c.

e) In *Foreſti* libr. X. Obſerv. XLII. Scholio, annotatum invenies, ſcaturiginem hujus confuſionis e locis quibusdam *Pauli Aeginetae* manare. Quippe qui libr. III. Cap. X. pag. 28. 29. de *duplici* agit morbo nomine Catochi veniente, de comate nempe vigili et Catalepſi. Quem errorem, plurimi cum eo erravere, non ignobiles antiquitatis medici. *Foreſti* praeceptor, *Bened. Faventinus*, tres

ter rariores *f*) hujus, mirati magis praeterlapſis ſeculis, quam obſervati, morbi caſus, non parum, ejus cum Ecſtaſi Apoplexia, Comatibus affinitatem, Symptomatumque accidentalium eorum ſimilitudinem, attuliſſe judico, quo minus congrua hucusque conſtituta ſit Catalepſeos idea. Quod cum facile Vos mihi conceſſuros eſſe putem, eo excuſatius meam de Catalepſi opinionem, praeſertim circa ejus notionem veram et differentiam tam accidentalem, quam eſſentialem, me proferre poſſe judico. Adde, quod haec non minus officio impulſus, quam arbitrio ductus, aggrediar.

§. III.

Perennis, ut novimus, Pathologorum lex eſt: Non philoſophicae theoriae inniti debet mor-

tres plane diverſas, ſub unius Catochi voce, annunciat affectiones. Sed, quemadmodum in communi vita, haud ſolemus res diverſas una eademque voce inſignire; ſic catochi nomen aptius adhiberi, ut ſolum coma vigil, phrenitidi inprimis ſuperveniens, eo deſignetur, exiſtimo. Idem fere jam *Amatus* docuit, Centur. II. Schol. XV. In cujus ſententiam abiit Io. *Langius*, Epiſtol. XXV, Catochi et Catalepſeos eſſentiam non ſolum nomine, ſed re differre, dicens. Quin Hippocrates ipſe κατοχως παρακρουοντες dixiſſe videtur illos, qui perpetuo delirant. Quo Hippocratis textu Ill. van Suiten in Comment. ad Aphoriſm. Boerhaavii §. 774. uſus fuit, ut Phrenitidem in Catochum (coma intellige vigil) ei conjunctum tranſire, confirmaret.

f) v. Ill. Brendel in opuſcul. medic. II. p. XC. Heer in Obſ. rar. lib. I. Obſ. III. Sennert Paralipom. lib. I. pr. II. c. III. (Oper. Tom. lib. I. P. 2. Cap. XXX.) Sed recte puto annotat Praenob. Schraff. l. c. p. 4. Exempla ejus non tam rara eſſe futura, ſi modo ab apoplexiis, ſimilibusque recte diſtinguerentur.

morborum hiſtoria, ſed hiſtoriae theoria [g]). Cum etiam a certioribus ſemper ordiendum ſit in veritatis diſquiſitione, pro baſi noſtrae theoriae ſumenda eſt, Catalepſeos ſignorum hiſtoria, eaque non deſultoria celeritate, ex uno alterove caſu conſcripta, ſed graphica, ad mentem Sydenhani compoſita [h]). Quos autem in omnium ferme morborum acceſſu, obſervare ſolemus prodromos, ii Catalepſin quoque accedentem ſaepiuſcule annunciant, plurimum accidentales. Inter eos eminent, quos dicam: corporis, animique torpor [i]), ſomnolentia et moroſitas [k]), vertigo [l]), athymia ſeu triſtitia [m]), laſſitudo ſpontanea, congeſtiones verſus caput, ejusque dolores [n]), oſcitatio [o]), aura calida, e praecordiis in caput elata [p]), praevius rubor

g) Pitcarnius praeloqu. p. 10. Boiſſier de Sauvages Noſol. Meth. Prolegom. p. 10. et ſequ.

h) Quippe qui his verbis Obſervatoribus praecipit: ut morborum phoenomena ſepoſitis tantisper Hypotheſibus Philoſophicis, adducant clara, naturalia quamvis minuta, exquiſitam pictorum induſtriam imitando, qui vel naevos et leviſſimas maculas in imagine exprimunt. Id quod repetere propterea juvat, ne quis, levidenſia nimis me attuliſſe ſigna arbitretur.

i) Boiſſier de Sauvages Noſol. Method. T. I. Claſſ. VI. p. 824.

k) Ephemerid. Natur Curioſ. Dec. II. Ann. I. Obſ. I.

l) G. F. Schraff Diſſ. De vera Catalepſ. Not. §. III.

m) Idem l. c. The Philoſophical Transactions No. 437.

n) Foreſt Obſervat. lib. X. Obſ. XLII. Sauvages l. c. p. 824.

o) Dolaeus Encyclop. Medic. Dogmat. Lib. I. Cap. VII. p. 107. Ephemerid. Natur. Curioſ. Dec. III. An. III. Obſ. 88. p. 137.

p) Idem. l. c. p. 137.

rubor faciei, ſubſequente pallore q), cordis anxietates r), dolores in abdomine vagi aut fixi s), colli rigiditas t) et alii ad apoplexiae et epilepſiae prodromorum ſpeciem proxime accedentes. Atque eorum nonnulli, licet pro diffe-rentia cauſarum ſemper, aut ut plurimum diverſi compareant, tam certum interdum accedentis paroxiſmi praeſtant indicium, ut componere u) ad eum ſe poſſint aegri, futurum mitigare aut remediis praevertere x). Eſt etiam, ubi alius Cata-

q) Dolaeus Encyclop. Med. Dogmat. l. I. Cap. VII. p. 107.

r) Idem. l. m c.

s) Io. Helvig in Obſervat. Phyſic. Med. Obſ. 64, dolorem refert dextri hypochondrii cum narium haemorrhagia foeminae cuidam catalepticae, paroxyſmum ſemper annunciaſſe accedentem. Alii ſenſum corporis quaſi inde a ventriculo ad oeſophagum aſcendentis obſervarunt prodromum Cataleptici paroxyſmi. The Philoſophical Transactions, No. 437. pag 49. Alii in aliis abdominis locis, praeſertim foeminae circa uterum dolorem ſentiunt. Quae ubi ita invenies, cauſam Catalepſeos in abdomine latitare, ut plurimum (non ſemper) recte judicaveris.

t) Henric. ab Heer l. c. Obſ II.

u) Sic Io. Schenk in Diſſ. de Catalepſ. exemplum refert foeminae Catalepticae, paroxyſmum ita praeſentientis, ut ſemper ſe ipſam ad eum praeparatura, humi reponeret.

x) Sicuti enim epilepſiae paroxyſmum, ubi aliusve ſenſu doloris, e pedibus aſcendentis, annuntiatur, ligatura pedibus actutum, ante nempe quam dolor inferiores artus reliquit, ſtricte impoſita, praevertere contigit: Sic in Foreſto Obſervat. Libr. X. Obſ. XLII. applicatis brachiorum, pedum et crurum ligaturis reditum Catalepſeos impeditum fuiſſe, invenies. Vt, etiam bene meritus de hoc morbo Autor, H. ab Heer Obſ. III. parvae rigore colli annunciatum Catalepſeos paroxyſmum recurrentem, illito nuchae et ſpinae dorſali oleo calido, egregie praepedivit. Cujus hiſtoriam ob alias rationes, in calce libri omnem referam.

Catalepſin praecedit morbus, ut malum hypochondriacum et hyſtericum [y]), melancholia, ataxia menſium [z]), febris intermittens, diu perdurans [a]), maxime quartana [b]), febres validae inflammatoriae [c]), Syncope [d]) &c. Interdum autem praenuncia Catalepſeos ſigna omnino nulla ſunt et morbus inopinato, tutum corripit hominem [e]), eumque in ſpeciem prorſus ſanum [f]).

§. IV.

Correpti autem Catalepſi ſitum, quem ante paroxyſmum habebant, ſeu erecti ſedentes ſeu jacen-

y) Boiſſier de Sauvages l. c. p. 825.

z) Schenk Obſ. Lib. I. p. 70. Rondelet Meth. curand. Cap. XX. p. 103. tam ſaepe melancholiam praecedere Catalepſin autumat, ut conſentaneum eſſe dicat, omnes Catalepſi detentos, vel melancholicos eſſe vel exſuperantia ſanguinis laborare. Quod cur probari nequeat, infra exponam. The Philoſophical Transactions No. 437. p. 49. aut The Philoſophic. Transact. abridged Tom. IX. p. 217.

a) Acta medic. et philoſ. Hafnienſ. Tom. III. Obſ. 52.

b) Boerhaav. Aphoriſm. de cognoſc. et curand. morb. §. 1040. Sauvages l. c. 827. In quarum ipſo paroxyſmo Catalepſis obſervata eſt a *Dodonaeo* in Obſ. Med. C. IV.

c) Boerhave l. c. §. 1040. Praeprimis memoratu dignum caſum refert Carol. Wilh. *Sachſius* magni nominis medicus *Sileſiacus* in Actis Novis Phyſ. Medic. Tom. I. Obſerv. XCIX. de catalepſi triduana febri continuae ſuperveniente.

d) Sauvages Path. Method. T. I. Claſſ. VI. p. 825. Syncopen habet odoramentis volatilibus nimis tractatam, quam repente inſequuta eſt Catalepſis.

e) Eberhard Conſpect. Medic. Theoret. Par. II. p. 409. Ephem. Natur. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I.

f) Eberh. l. m c. Ephem. Nat. cur. l. c. Guil. Rondelet. Method. Curand. mb. Cap. XX, p. 97.

jacentes [g]) conſtanter retinent [h]). Sic ſcribendo prehenſus Catalepſi, calamum digitis premens [i]), oculis in librum manet defixis [k]), faciei muſculi, ad riſum fletumve ante paroxyſmum compoſiti, riſum, fletumve in eo conſtanter exprimunt [l]). Menſae accumbens catalepticus, erecto perſiſtit corpore, manu dapibus admota [m]). Bibendo correpti, poculum ori admotum retinent et bibere continuo videntur [n]); qui loquebantur, ore aperto deſinunt loqui ſic perſiſtunt [o]), equo inſidentes, in eo ſtatu permanent, habenam retinent, et, quo equus velit, equitant [p]) &c. Quaecunque Cataleptici partes immotae manent; *immotae* dixi, non *immobiles*, ut aliis [q]). Quippe cerea quaſi flexilitate gaudent [r]), qua non ſolum moveri ſinunt, ſed ſitum etiam impreſſum retinent. Quodſi enim transverſum ducas Cataleptici

g) Acta Phyſ. Medic. Caeſ. Dec. II. An. I. Obſ. I.

h) Sylvius Prax. medic. lib. II. Cap. XXIV. van Suiten Comm. ad Boerh. Aphor. §. 1036.

i) Fernel. Ambian. Pathol. lib. V. Cap. II.

k) Fernel. l. c. Cap. II.

l) Sauvages Pathol. Meth. p. I. Claſſ. VI. p. 825.

m) v. Suiten. Comment. l. c. §. 1043. Iacotius Comm. ad Aphor. Hipp. 7. lib. II.

n) Zach. Quaeſt. Medic. legal. e Card. p. 395.

o) Guil. Rondelet Meth. curand. morb. Cap. XX. p. 97.

p) Foreſtus Obſerv. lib. X. Obſer. XLI.

q) Suiten Comm. ad Boerh. Aph. §. 1036. Dolaeus Encyclop. med. dogmat. lib. I. Cap. VII. p. 107.; Sennert pract. Med. l. I. pt. III. C. III.; Vogel Praelect. §. 569.

r) Fr. Hoffman. Rat. Syſtem. Med. Tom. IV. Part. III. Cap. IV.; Suiten Comm. l. c. ſub finem §. 1036. Sylvius Prax. Med. lib. II. Cap. XXIV. §. 28.

leptici brachium, tranſverſum manet [s]), ſi elevetur ab adſtantibus, manet elevatum [t]). Digiti, ſi flectantur, flexi manent &c. Ut tribus dicam, artus quamlibet poſituram, e legibus mechanicis ac ſtructura anatomica poſſibilem, ab inſtantibus impreſſam, tam diu conſervant, donec iterum moventur ab aliis, aut paroxiſmo finito ab ipſo aegro [u]). Eundo correpti licet corpori ſuſtinendo ſint pares [x]), gradum tamen ſiſtunt [y]). Quamquam enim aliquos, inter ambulandum ea correptos, lento gradu inceſſiſſe, dicunt [z]), id tamen de

s) Ephem. Natur. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I.

t) van Suiten Comm. l. c. ſub finem §. 1036. Idem, cum Foreſto et omnibus fere antiquioris aevi medicis, ſtatum Cataleptici, ut intuitivum lectori reddat, ſimilem dicit illi, quo aſpectu Meduſae homines obriguiſſe memorant Mythologi. Equidem eum, ſi comparatio in his rebus admitti poteſt, cum puella illa compararem, in nova fabula labelle Arſene dicta, quae in ſtatuam mutata, elevato brachio, immota perſiſtit per quadrantem horae, tunc a Deae attactu vivere incipit eodem modo, quo Cataleptici, finito paroxyſmo, iterum moveri incipiunt

u) Sauvages l. c. p. 824. Frid. Hofmann. Syſt. Rat. Tom. IV. Pars III. Cap. IV.

x) Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. I. Obſ. I. Ionſton Lib. II. Cap. XXVIII. p. 803. Non enim video quare citat. Schraff c. §. XIV. inter ſigna perfectae Catalepſeos referat, quod aeger in ea ſupinus, moribundi inſtar, jacere debeat. Non ſolum contrarium laudata plurium Autorum loca luculenter docent, ſed etiam ipſe ſibi contradicit. Nam §. IX. Exemplum Catalepſeos perfectae refert ex Fernelio ſumtum, quod enarrans, plane aperteque: *Solus inſiſtit Catalepticus* dicit. Sylvius prax. med. lib. II. Cap. 24. Non concidant, inquit, ut in Apoplexia, Epilepſia &c.

y) Ephemerid. Nat. Cur. l. c.

z) Io. Schenk a Grafenberg Obſerv. lib. I. p. 66. ex Gabelchovero narrat: Catalep-

de ingrediente morbi paroxyſmo magis intelligendum. Impulſi autem paululum omnino incedunt [a]), ita tamen, ut expreſſas dicas larvas, aut ſtatuas arte progredientes, atque ipſe hic motus, paullo, quam naturaliter eſſe ſolet, perficiatur ſegnior [b]). Interdum graviter onerati, onus dejiciunt [c]), alias non deponunt [d]). Alii, quidquid in os inſeritur, prompte deglutiunt [e]), alii reſpuunt [f]). Senſibilitas perfecta Catalepſi laborantis nulla eſt. Quippe qui nec ſtimulis, nec remediis [g]); nec verberibus ipſis [h]), neque ſectione [i]) aut igne [k]) excitari poteſt [l]). Vox cata-

talepticam 20 annorum inter eundum morbo correptam, lento gradu inceſſiſſe. Idem *Benivenius* in Cap. de Catal. 102. affirmat. Ionſton Theſ. Med. Lib. II. Cap. XXVIII. p. 802.

a) Fernel. Ambian. l. c. Licet Sauvages l. c. Catalepticos prorſus legitime incedere perneget, ſtatuae tamen inſtar progredientis moveri poſſe, inficias ire non audet. Quippe quod non ſolum Fernelii hiſtoria, ſed plura etiam obſervata commonſtrant. Sic in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. I. Obſ. 1. Io. Fehr, catalepticam puellam, manu ductam inceſſiſſe, certiores nos facit.

b) Sylvius Prax. medic. lib. II. Cap. XXIV. §. 28.

c) Rondelet Method. curand. morb. lib. I. Cap. XX. p. 98.

d) Ephemerid. Natur. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I.

e) Fernel. Amb. Pathol. lib. V. C. II.

f) Nova Acta Med. Phyſ. Tom. I. Obſerv. XCIX.

g) Exemplum, in quo Spiritu ſalis ammoniaci ori infuſo non excitabatur Catalepticus. vid. Dolaei Encyclop. medic. dogm. lib. I. Cap. VII. p. 107.

h) Commerc. Norimbergenſ. 1731. pag. 330.

i) Salius Annot. ad Cap. IV. pract. Altom.

k) Hiſtoir. de l' Acad. de Scienc. l'an 1738. p. 56. Ibi nempe invenies exemplum Catalepticae mulieris, ne quidem pedibus ſuppoſito igne e paroxyſmo excitatae.

l) Cave enim exiſtimes exempla cujusdam ſenſationis reſtitutae, ad eam, de qua nunc verba facimus, Catalepſin

talepticis nulla eſt m). Oculi fixi ſunt, interdum aperti n), alias clauſi o), pro varietate ſtatus, in quo, paroxyſmo cataleptico corripiuntur aegri. Quodſi de die accidit, plerumque ſunt aperti, tam irretorti, ut licet ſudario illos perſtrinxeris, inconniventes maneant p). Eorum cilia immota q). Sed ut oculis clauſis, ſic et apertis, nunquam vident; nec audiunt r). Functiones

talepſin eſſe referenda. Non enim me fugit nonnullos Catalepticos (Hildesheimio teſte) tuſa vena jugulari clamorem edidiſſe, aut balneo egregie frigido immiſſos ſenſum aliqualem oſtendiſſe, aut (ut Obſ. Med. pract. Pariſ. 1743. referunt,) Spiritum ſalis ammoniaci ad decem pedum diſtantiam percepiſſe, et manu naribus admota eum arcuiſſe; alios per eum paululum excitatos, eo remoto in priſtinum ſtatum recidiſſe. Sed haec ſub finem paroxyſmi aut in alia ſpecie fieri, infra docebimus.

m) Foreſt. lib. X. Obſ. 41. 42. Eph. Natur. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I. Benivenius Cap. III. Vogel Praelect. de cogn. et cur. mb. p. 470.

n) Eberhard Conſp. Med. Theor. P. II. pag. 406. Foreſt. l. j. c.

o) Foreſt. l. c. Obſ. 42. Suiten Comm. ad Boerh. §. 1036. Hofman Rat. Syſt. Med. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. p. 114. Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. An. III. Obſ. 88. pag. 138. Contendunt quidam, eos perpetuo apertos oculos habere, ob ſiccitatem muſculi oculi ſemper tenſi, id quod egregie reſpondet theoriae eorum, qua ſiccitatem cerebri &c. cauſam Catalepſeos eſſe accuſant; v. Piſo de cogn. et curand. morb. lib. I. Cap. XIII. p. 150. Sed theoria non ratiociniis meris eſt probanda, verum obſervatis; quorum plurima ab iſto dicto abhorrent. Dolaeus quoque Encyclop. Med. Dogmat. Libr. I. Cap. VII. p. 107. oculos catalepticorum, interdum clauſos eſſe, affirmat.

p) Fridr. Hofman Rat. Syſt. Med. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. pag. 114.

q) Dolaeus Encycl. Med. Dogmat. Lib. I. Cap. VII. p. 107. Amatus Luſit. Obſ. Cent. II. Cur. XIV.

r) Fernelius Amb. Pathol. l. c. Foreſt Obſerv. lib. X. Obſ. 42. Eberhard Conſp. Med. theor. Par. II. pag. 406. Ephem. Natur. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I. p. 2.

nes vitales, reſpirationem et pulſum intellige, interea plerumque ſat libere peraguntur, cum eo tamen, ut paulo ſubinde debiliores [s]) eſſe obſerventur. Immo, color, calor et pulſus naturali interdum prorſus ſimilis [t]). Quae autem non in omnibus Catalepticis inveniuntur eadem eſſe; reſpiratio enim nonnunquam ſatis obſcura, vix percipienda [u]), pulſus languidus, tardiſſimus, ſed aequalis eſt [x]) &c.; calor a natura multum recedit [y]), facies pallida eſt et oedematoſa [z]). Os in aliis hiat [a]), plurimis clauſum eſt. Cruor e vena miſſus mox viſcidus, mox tenuis, mox ſero-

s) Hofman Rat. Med. Syſt. Tom. *IV.* Par. III. Cap. IV. Eberh. Med. theor. l. c. pag. 408. Fernel. l. c. Cap. II. Vogel Praelect. de cogn. §. 569. Barbet prax. lib. I. cap. III. Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. Ann. III. Obſ. 88. p. 138. Dolaeus Encyclop. Medic. Dogm. lib. I. Cap. VII. pag. 107. Quam magnam autorum vim non ludentes in medium adduximus, ſed quod magnus in re medica, praecipue pathologica Obſervator, de Sauvages huic dicto adverſatur. Namque is, aliquibus quidem, ſed non omnibus, nec pluribus obſervatis congruam, eam Catalepſeos ſiſtit definitionem: Eſſe ſenſuum et motuum ſuppreſſionem *cum pulſu et reſpiratione obſcuriſſimis* &c. Verum accidentale eſt, utramque hanc functionem tantopere laedi. Adde quod rarius obſervetur. Neque igitur, cur ea in definitionem catalepſeos receperit, video.

t) Commerc. Norinberg. l. c. Ipſa Carotis pulſat (van Suiten Comm. ad Aphor. Boerh. l. c.) Nam in Capitis affectibus ex hocce ſigno maxime pulſus eſt aeſtimandus.

u) Sauvages Pathol. Meth. l. c. Acta Vpſal. 1742. pag. 41.

x) Schraff Diſſ. de Catalep. not. p. 10. 18. Pulverinus de cur. morb. Cap. I. p. 33.

y) Schraff l. c. p. 10. Immo frigus interdum obſervatum eſt marmoreum; Henric. ab Heer Obſerv. rar. Obſ. III. Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. I. Obſ. I.

z) Sauvages l. c. p. 828. Schraff l. c.

a) Henric. ab Heer l. c.

roſus [b]), mox coagulatus, nigricans [c]) &c. tam tarde interdum fluens, ut intra horae ſpatium vix novem unciae [d]) effluant, aut nullus, niſi per vim expreſſus [e]), exſtillet. Alvi et urinae interea fit ſuppreſſio [f]). Interdum vomitu paroxyſmus adoritur, finitur [g]). Nonnunquam abdomen ac coſtae inferiores convelluntur [h]). Hinc alvi ſphincter tam adſtrictus, ut nec tenuiſſima intrudi queat ad clyſterem injiciendum fiſtula [i]); non ſemper autem tam adſtrictum putes anum, quippe quem clyſteres, in paroxyſmo adhibitos, omnino admiſiſſe legimus [k]). Poſt aliquot minuta [l]), aut horas [m]), aut dies, duos,

b) Sauvages l. c. p. 827.

c) Schraff. l. c. Boerhavius quidem diſſectis cadaveveribus inveniri, inquit, vaſa cerebri turgentia fortiter impacto cruore. Id quod Hollerius in Comm. ad Coac. Hipp. pag. 66. affirmat. Multique hanc conditionem, ut infra patebit, pro cauſa Catalepſeos accipiunt univerſali. Magna tamen cautela hic opus eſſe videtur, ne id forte pro cauſa perpetua habeas, quod interdum ſit morbi effectus. Diximus *interdum*. Nam obſervationes, quae ſanguinem ſano ſatis ſimilem eſſe ſuadent, non paucae ſunt.

d) Idem Schraff l. c.

e) de Sauvages l. c. pag. 827.

f) Dolaeus Encyclop. medic. Dogm. lib. I. Cap. VII. p. 109. Piſo de cogn. et cur. morb. lib. I. Cap. XIII. p. 151.

g) van Suiten Comm. l. c. §. 1040. pag. 316.

h) Rondelet. Cap. XX. pag. 98. Hofmann Rat. Syſt. Medic. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. pag. 114. Dolaeus Encyclop. Med. dogmat. lib. I. Cap. VII. p. 107.

i) Henr. ab Heer l. c.

k) Schraff l. c. §. VII. p. 11.

l) Vogel de cogn. et cur. morb. §. 569. Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. I. Obſ. I. &c.

m) Suiten Comm. l. c. §. 1039. Io. Helvig Obſ. phyſ. med. Obſ. LXIV. Vogel l. c. §. 569.

duos, tres, quatuor n) &c. inter alta ut plurimum ſuſpiria o), raro cum pandiculatione, ſtertore, aut abdominis quibusdam phaenomenis (ut murmuribus) p) aeger, immemor omnium, quae in transacto ei acciderint paroxyſmo q), veluti ex profundo ſomno r) evigilare videtur.

§. V.

Functiones autem animales in nonnullis ſatis cito s), in aliis pedetentim redeunt, ita, ut ſenſibilitate ſenſim revertente, digitos primum, dein brachia movere incipiant t). Neque ſemper et omnes Cataleptici de ſtupore, aut laſſitudine, aut aliis queruntur u); quin potius capitis gravitate, ante paroxyſmum experta, nonnum-

 quam

n) *Acta Nova* Phyſ. Med. Tom. I. Obſerv. XCIX. Acta Hafn. Tom. III. Obſ. 52. Vogel l. c. §. 569.

o) Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. 1. Eberhard Conſpect. Med. theor. Part. II. pag. 406.

p) Ephemerid. l. c. 2.

q) de Sauvages Pathol. Method. l. c. pag. 824. Vogel Praelect. de cognoſc. et curand. morb. §. 569. Suiten Comm. l. c. §. 1036. Beniven. Cap. XLVI.

r) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. Obſ. I. Eberhard Conſp. Med. theor. Part. II. p. 409. Vogel Praelect. l. c. §. 569.

s) Henric. ab Heer l. c. Ephem. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I. Vogel l. c. §. 569.

t) Schraff l. ſ. c. p. 10. et ſequ. In digitorum extremis etiam punctionis ſenſum, redeunte vi ſenſitiva, perſenſentiſcunt aliqui, uti egregie obſervatum eſt a Ioh. *Febr*, in Obſ. I. An. I. Dec. II. Actor. Nat. Cur. Cujus obſervationem ſaepe citatam, dein ipſis ejus verbis plenam adjiciam.

u) Dolaeus Encyclop. Medic. Dogm. lib. I. Cap. VII. pag. 107. Catalepſin refert, felici Hygea, curatam, relicto tamen ſtupore quodam, ſi laſſitudinem, inquit, dicas, non erres.

quam evadant immunes [x]). Eſt autem contra ea, ubi functiones animales per aliquot temporis ſpatium manent debiliores [y]). Increſcit ſaepe ſpiratio et pulſus, ſubſequente diapnoe, mox minori, mox majori [z]), in tota corporis peripheria.

Interdum motus febriles, aut febris [a]), aut torpor [b]), aut alii Catalepſin, quamvis rarius, excipiunt morbi [c]), aut ſolvunt eam [d]). Nonnumquam mortem ipſam, licet infrequentius, Catalepſeos ſcenam claudere, pro inquiſito et comperto habemus [e]).

Ipſi

x) Eberhard Conſp. Med. Theor. Pars II. p. 409 ſeq. Sauvages Pathol. Meth. l. c.

y) Schraff l. c. pag. 10.

z) Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. I. Obſ. I. Exempl. 2. Schraff m. l. c. p. 10.

a) Febrem ſyndcham octo dierum ſpatium conſummantem, Catalepſin ſequutam eſſe, refert Schraff l. c. pag. 12.

b) Dolaeus Encyclop. med. Dogmat. Cap. VII. p. 107.

c) Hollerius Comment. ad Aphor. Hippocr. teſtatur ſe vidiſſe hominem, qui comate, epilepſia, convulſione et catalepſi, mutatis vicibus, premeretur. Catalepſin autem comitiali morbo exceptam refert Benivenius Obſ. Cap. XLVI. Hoffmannus Med. Ration. Syſt. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. Spaſmodicos affectus inſequentes, Ephem. Nat. Curioſ. Decad. V. p. 195. Quod rarius adhuc, memoriam pauliſper laeſam aliquanto tempore a Cataleptico morbo remanentem refert Dodonaeus Oſerv. medicin. Cap. IV.

d) Sic Dolaeus Encyclop. medic. Dogmat. lib. I. Cap. VII. pag. 107. narrat: Diarrhoeam, cum calore acceſſiſſe, ex quo tempore mox reſtituta eſt aegra.

e) Foreſt Obſerv. Lib. X. Obſ. XLI. Lonicerus de expl. morb. in Cap. de congel. p. 5. Henric. ab Heer Obſ. III. Non quidem me praeterit, quod magnus Batavorum Hippocrates, Boerhavius, Aphor. de cogn. et cur. morb. §. 1043. dixerit: in mortem plerumque finitur.

Ipſi autem morbi naturae haec plerumque nota velut impreſſa eſt, ut phaenomena ejus eſſentialia, poſt elapſum tempus aliquod, plus minus definitum redeant, ſeu, quod idem eſt, Catalepſis paroxyſmos formet. Quamquam enim iſtiusmodi paroxyſmum, ſemel tantum accidiſſe *f*) novimus, attamen frequentius, per intervalla morbum rediiſſe, obſervatum eſt, haecque in quibusdam longiora *g*), in aliis breviora *h*) format, et ipſe paroxyſmus mox mitior, breviorque, mox longior et gravior *i*) fuit. Eſt ubi Catalepſis vim medicaminum eludens, per plures annos, quin per totam vitam aegrum detinet *k*). Caeterum excreta, extra paroxyſmum ſpectata, ut plurimum a naturali conditione non multum recedere *l*), aegros autem a cibis plerumque abs-

 tinere

tur. (Cum quo Hollerius l. c. conſentire videtur.) Sed egregie, propriisque obſervatis ſat congrue, immortalis ejus Commentator, van Suiten annotat. l. c. „videtur quod ibi agant de catocho (quocum ſaepe confundi ſupra dictum eſt Schol. ad §. 1.) in morbis acutis. Plurimos enim, pergit, emergere et quidem absque alio morbo excipiente, certis conſtat obſervatis. The Philoſophical Transactions abridged Tom. IX. pag. 216.

f) van Suiten Comm. l. c. Vogel Praelection. §. 569.

g) van Suiten l. c.

h) Frid. Hoffmann. Syſt. Med. Rat. l. c. p. 114. Ephem. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I. pag. 2. ubi ſaepe de die rediiſſe legimus.

i) Ephemerid. N. C. l. c. Hoffmann. l. m. c.

k) Qualem caſum Sylvius in Prax. Med. l. c. adduxit et Ioh. Mich. Fehr in Ephemerid. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. I. annotavit. Ut plures taceam.

l) Hoffman. Syſt. Rat. Med. l. m. c.

tinere aut paucis ſaltim ſatiari [m]), interdum vero voraces [n]) eſſe invenies.

§. VI.

Quae, licet pro mea conſuetudine breviter ſimpliciterque narrata catalepſeos verae phaenomena, non uni, alterive caſui reſpondere puto, ſed pluribus ac fere dicerem cunctis purae Catalepſeos obſervatis. Haud enim ex ſiccis noſtratum, ut fieri alias ſolet, Compendiis vides eſſe deſumta, ſed ex recentiorum aeque ac antiquioris aevi medicorum obſervationum ſcaturigine hauſta. Quanta enim antiquiorum in rite obſervandis morbis ſint merita, neminem fugit. Licet autem abunde jam fontes, quibus uti licuit, in ora paginarum notaverim, jejunitatis notam me tamen vix eſſe evaſurum intelligo, ni praedicta ipſis caſibus ab Obſervatoribus fide ſat dignis commemoratis, ſuffulcire vellem. Igitur obſervata haec, quantum limites opuſculi permittunt arcti, nudis Autorum verbis adducam.

§. VII.

Hiſtor. I.

Catalepſeos autem perfectae caſum Fernelius Ambianus [o]) memoriae tradidit, concinne laco-

m) Vogel Praelect. §. 569.

n) Ephem. Nat. Cur. Dec. V. p. 195.

o) vid. Pathol. ejus lib. V. cap. II. Quod exemplum non ſine ratione adduxi, quippe tam perſpicuam Catalepſeos hiſtoriam exhibet, ut, non ego ſolus, ſed plures magni nominis Pathologi eo uſi ſint ad demonſtrandam veram catalepſeos naturam. Quos inter

laconiceque ita differens: „Mortui ritu jacentem, inviſi, qui neque cernebat neque audiebat, neque compunctus quidquam ſentiebat. Facilis tamen inerat ſpiratio, et quidquid in os inſerebatur, promte vorabat. E lectulo ſublatus, ſolus inſiſtebat, impulſus incedebat, et quocunque vel brachium vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum et ſtabile permanebat; expreſſam quandam larvam aut ſtatuam arte progredientem dixiſſes.„ Non eſt, quod viro eximio tamque laudato Obſervatori panegyrin dicturus, ejus hic agam praeconem, ſed puram, omiſſis ſymptomatibus accidentalibus, hanc eſſe verae Catalepſeos atque completae hiſtoriam omnibus ſat puto eſſe perſuaſum.

§. VIII.

Hiſtor. II.

Uberius paulo Io. Mich. Fehr hiſtoriam Catalepſeos concinne depinxit obſervatam. Ruſtica, inquit, quaedam puella annorum circiter XV, jam a quinquennio Catalepſi laborat (licet itaque loqui) ſtatuaria; eaque brevi, ac ſaepius de die, inter eundum in media via, nullo praecedente frigoris ſenſu, ſubito inſtar Mercurialis ſtatuae conſiſtit, omnibus ſenſibus tam internis quam externis quaſi conſopitis, oculis apertis non videt, non audit inclamata, nec ſe loco movet, nec

 unquam

ter Schenk Obſ. lib. I. p. 66. Donatum lib. II. c. 7. Foreſtum (lib. X. c. 41.) Io. Gottf. Brindel Opuſc. med. arg. Part. II. Diff. V. p. 90. v. Suiten (Comm. in Boerh. Tom. III. §. 1037.) et Schraff (de Catalepſi §. 9.) nominare ſufficit.

unquam cadit, etiam graviter onerata, nec onus deponit aut projicit, quin et in templo ad ſacram coenam acceſſura, ſaepius ita conſiſtit et Paſtorem in altari moratur, ſed mox quaſi e profundo ſomno excitata ad priſtinum vigoris ſtatum redit, praeteritorum omnium ignara; caeteroquin et extra paroxyſmum omnium animae corporisque functionum fit ſatis capax. Unica convaleſcentiae ſpes in felici menſtruorum eruptione, quae nondum p) apparuere.

§. IX.

Hiſtor. III.

Iam alius catalepſeos caſus: Mulier quaedam annum vigeſimum quartum agens, atque menſium ataxia, modo non ſemper laborans, pulſu debili, tardo praedita, ſaepius ſine cauſa morali, niſi ficta, triſtis, tempore hyemali, a meridie ſenſibus ac motu voluntario ſimul ac ſemel privabatur. Medici probabiliter morbi indolem non ſatis intelligentes, poſitis ad ſuras emplaſtris veſicatoriis domum redibant. Cel. Prof. Io. Baumer, media nocte arceſſitus, ſine ſenſu, motu vociſque uſu illam inveniebat. Totius corporis calor naturali minor, reſpiratio leniſſima, pulſus parvus, debilis atque tardus, membra tamen flexibilia erant. Morbum catalepſin completam eſſe, pronunciabat, et chirurgum, ut lata inciſione venam in talo aperiret, jubebat. Sanguis nigricans,

p) Ephem. Med. Phyſ. Curio. Dec. II. An. I. Obſ. I. Cui obſervationi plures adhuc ſunt adjectae aliorum Autorum obſervata.

gricans, non tamen ſpiſſus, frigidiuſculus ex ſecta vena tam tarde prodibat, ut fere intra horae ſpatium vix novem unciae emiſſae ſint. Circa hujus finem digitos paululum movere et pedes quodammodo attrahere incipiebat, et poſt adhibitas fricationes, intra nonnullarum horarum ſpatium, ſenſus, motusque animales ſenſim omnes, debiles tamen redibant, et illa ſeſe profunde dormiiſſe autumans, omnia ſecum acta prorſus ignorabat. Reſpiratio et pulſus poſtea increſcebant, et hic leniorem motum febrilem indicabat, aliquali diapnoe in tota corporis peripheria ſubſequente. Alius prorſus ſpeciei Catalepſis, quam b. Eberhardus q) hic Halae obſervavit, eſſe videtur. Videtur autem modo, non eſt. Nam licet catalepſis ut aliorum morborum ſymptomata accidentalia interdum invenias e diametro ſibi oppoſita aut diverſa ſaltem, ipſa tamen non differt, quod nempe ad ejus eſſentiam ſpectat. Hic ego, inquit, vidi exemplum Cataleptici, alias ſaniſſimi, cujus paroxyſmus per ſemihoram durabant. Morbus eum ex inproviſo adoriebatur, ſenſus et motus ceſſabant, et ad ſe rediens, neque de laſſitudine, neque alia re querebatur, ſed tantum veluti e profundo ſomno evigilans, quid ſecum actum eſſet, ignorabat.

§. X.

Hiſtor. IV.

Femina quaedam viginti quinque annorum cum marito ſuo, ob furti ſuſpicionem captiva detenta,

q) Conſpect. Med. theor. Part. II. p. 409. Schol. I.

tenta, infantem lactans novem menſium, octavo Februario nunciatur lipothymia correpta, et debilis cum dolore pectoris aliquo. Die undecimo vocati praeſentibus viris integerrimis, quos teſtes oculatos citare poſſumus, deprehendimus, morbum non eſſe lipothymiam, quod prius relatum erat, ſed ipſiſſimam Catalepſin. Decumbens enim more ſolito in ſtramine oculis apertis ſtupebat, fruſtra inclamata, nullo moto membro, nullo ſenſu extorquendo, partibus tamen mobilibus, non rigidis. Reſpiratio bona, pulſus vix immutatus. Naribus fruſtra adplicatus ſpiritus ſalis ammoniaci fortiſſimus; idem fruſtra infuſus ori, linguae hinc pellicula quidem abſcedente; titillatae plantae pedum, mediante excutia, nullam reddebant ſenſationem, infuſa tamen ori videbantur deorſum ferri. Durabant haec a dimidia ad integram circiter horam; aegra ad ſe redeunte actorum omnium ignariſſima. Repetiit idem paroxyſmus ter vel quater, ſed nec ſtato die, nec hora, plerumque tamen ante meridiem. Die vigeſimo diarrhoea acceſſit cum calore aliquo; M. Martio reſtituta a morbo.

§. XI.

Hiſtor. V.

Senex ſexaginta circiter annorum, ipſe non ſolum Medicinae practicus veteranus, ſed ob ſtupendam in omni litterarum genere eruditionem, non vivus, ut ajunt germanice, liber, ſed viva bibliotheca a multis appellatus, aeſtivo tempore anno MDCCLXXVI, ſequenti modo Catalepſi

talepſi corripitur. Cum duobus eruditis viris colloquens, in ſedili ſedens, multaque jam locutus, protinus colloquium, periodo nondum ad finem perducta, ſilentio interrumpit, apertis, ut antea, oculis illos adſpiciens, et fiſtulam nicotiana herba adhuc repletam, eodem ſitu retinens. Illi recordari eum quidquam putantes, paululum exſpectant, tuncque prehenſa manu, ut pergat narrando admonent. Nulla vero cum iis daretur reſponſio, eum adgreſſi, ſenſu, motuque carentem inveniunt. Arceſſitis clamore anxio ejus cognatis, jam aliquoties ſopore (ſic enim dicebant,) illo correptum fuiſſe ab ipſis audiunt. Vultus, ut antea, ſerenus, politiſſimamque viri humanitatem ſpirare viſus eſt. Pulſus interea paululum naturali tardior. Oculi fixi, os hians, color faciei, ut alias, ad pallidum accedens. Reſpiratio non multum a naturali recedens. Corpus, ut ante paroxyſmum, erectum, ejusque calor haud naturali minor. Amici adſtantes genium morbi magnopere admirantes, tum medicum alium jam arceſſendum curant, minutis duobus vix praeterlapſis, ſitum ab eo mutari, oculos, manusque jam paululum moveri ſentiunt. Iam ipſe, ſui iterum prorſus compos factus, ſermonem abruptum reſumit, fiſtulamque fumantem eſſe extinctam miratur, et amicos, cur ſurrexerint de ſedibus, interrogat. Recurrentibus vero, intra duorum annorum ſpatium paroxyſmis pluribus, iisdemque et numero et duratione creſcentibus, e vivis denique ereptus eſt, vir, ob eruditionis profunditatem Neſtoriis annis digniſſimus.

§. XII.

§. XII.

Hiſtor. VI.

Ultimam addam, quae ad completam Catalepſeos ideam ſat facit hiſtoriam, a Celeb. *Richardo Reynell* deſcriptam r). Anna Bulard, ancilla, vigeſimum primum aetatis annum aſſecuta, poſtquam inde ab aliquo tempore anomalia menſium laboraverat, obituque amicae valde afflicta fuerat, de dolore capitis et ſtomachi, cum univerſali intemperie conjuncto, queri incepit, pulveremque ideo diapnoicum quendam ſumſit, qui ad *Gaſcoigne* inventorem refertur. Sequenti mane, circa horam nonam, inſenſibilem eam, immotamque et omnis ſenſus expertem in lecto inveniunt, clauſis oculis. Quo aſpectu primum ſeducti terrifico, qui advenerant, mortuam omnino putarunt. Sed ipſe cum adveniſſem, eam Catalepſi tantum vera retentam intellexi. Inſenſilis erat, immota, membris paululum rigidis, calidis tamen. Haec vero, etſi quidem non facile flecti poterant, attamen quemcunque retinebant ſitum, ſive erigerentur, ſive retroflecterentur. Reſpiratio bona, ſed non item pulſus; languidus enim erat et irregularis. Aberant ſpaſmi omnes et motus convulſivi. Nullis remediis excitari poterat. Vena in brachio aperta,

r) In Philoſophical Transactions. No. 437. April. MDCCXXXV. aut etiam in The Philoſophical Transactions abridged by John Martyn Vol. IX. pag. 216. ſequ. Eadem hiſtoria narratur in libr. Auserleſene Abhandlungen prakt. und chirurg. Innhalts, aus den philoſophiſchen Transaktionen und Samlung von *Nathan. Gottfr. Leske;* Th. II. Seite 307. 308 folg.

ta, ſanguis ad duodecim uncias emiſſus, promte fluebat. Aegra inde paululum quidem ad ſe redibat, nondum tamen loqui poterat. Cum vero, elapſis paucis horis, prorſus excitata eſſet, quaeſivi ex ea, an, quid ſibi acciderit, recordari poſſit? Quam ad quaeſtionem reſpondit; ſe proximam noctem inquietam transegiſſe, et in hanc affectionem hora circiter quarta matutina incidiſſe, quid vero ſibi contigerit, ſecumve actum ſit, ea praeſente jam omnino neſcire, &c.

§. XIII.

Quibus Catalepſeos phaenomenis abunde jam perpenſis, ad inveniendam veram ejus ideam completamque progrediendum eſt, idque ita quidem, ut ſapide ſervemus praecepta, quae ſummi philoſophi in inveniendo et perſcrutando recto veroque nobis praeſcribunt. Igitur omnia quae hiſtoria Catalepſeos ſuggerit phaenomena, a nobis in antecedentibus ſparſim collecta, ſevero examini ſubjecturi, rejectis quae ad naturam ejus non pertinent, ſolis jam propriis inſiſtamus Catalepſeos phaenomenis. Primum autem, quod offerunt allata (§. V. VI. IX - XII.) obſervata, tanquam conſtans verae perfectaeque Catalepſeos phaenomenon, abſentia ſenſuum omnium internorum et externorum, motuumque voluntariorum continetur. Atqui praedictae functiones, medicis animalium nomine veniunt; Catalepſin itaque ad affectiones functionum animalium morboſas referendam eſſe, in aprico jam eſt; tantoque de eo minus dubitari poteſt,

poteſt, quanto certius eſt, incedere ſubinde catalepſeos caſus, ubi ceterae omnes functiones illaeſae ſunt.

§. XIV.

Neminem autem fugit, permultos eſſe morbos, non minus quam Catalepſis, abſentia functionum animalium ſtipatos. Quae igitur ſit tandem ea abſentia, quae catalepſi jungatur, et in quo conſiſtat? jure quaeri poteſt meritoque. Apparet facile, hanc omnem functionum animalium abſentiam, ad ſuſpenſam ſyſtematis nervoſi actionem redire; magnopere enim dubito, fore ullum, qui de cauſa, cur motus voluntarii in catalepſi abſint? quaeſitus, eam a muſculis ipſis, non a nervis repetendam eſſe exiſtimet. Quo igitur modo in catalepticis nervorum actio ſuſpendatur? diſquirendum eſt. Nervos inducta iis nimia vel tenſione, vel relaxatione, (liceat enim his verbis uti, etſi me non fugit quam parum alias in nervos quadrent) inſenſibiles fieri notum eſt, idemque epilepſia, ſyncope, paralyſis nervoſa &c. ſuadens. In catalepticis autem nec tenſio nimia nervorum, nec relaxatio eorundem accuſari poteſt. Mobilitas enim membrorum facilis tenſionem, et permanſio in ſitu, eoque vel impulſu externo acquiſito, relaxationem refutat. Iam vero ſi nervi catalepticorum neque tenduntur nimis neque praeter modum relaxantur: reliquum eſt, ut eo modo, eoque in gradu agere pergant, quo ingrediente paroxyſmo inceperunt, cum eo tamen ut aptitudinem ſimul habeant mutationes ipſis ſub paroxyſmo, ab externo impetum facien-

te

te quod ſufficiat, illatas, recipiendi, receptasque non minus quam priores illas ab interno impetum faciente inductas, retinendi. Quam ſi probes Catalepticam, ut ita dicam, nervorum conditionem, id inde, quod motibus voluntariis in catalepſi accidit, facile explicabis; inſenſilitatem, ut videtur, non item. Nam id, quod in ſuperioribus evicimus, catalepticos nempe ne fortiſſimorum quidem irritamentorum adplicatione excitari, excitatos autem, nullius omnino rei, durante paroxyſmo actae, conſcios eſſe, parum certe, primo ſaltem intuitu, cum ea, quam fovimus, ſententia, conſentire, planeque iſti, quam contendimus adeſſe, aptitudini nervorum, impreſſos a cauſis externis motus recipiendi, retinendique, adverſari videtur. Eſt tamen, quod ad hanc dubitationem reſpondeas. Ut enim ſenſationes fiant, non locus ſentiens ſolum mutari, ſed motus etiam in eo concitati ad cerebrum perferri debent. Atqui motus nervis exterioribus in Catalepticis illati, quamvis validi ſint, prius tamen, quam ad cerebrum perveniant, velut ſuffocari videntur, forteque cerebrum eo in catalepticis minus novae mutationi recipiendae par eſt, quo illud magis is ipſe locus eſt, qui omnium primum in catalepſi et maxime afficitur.

§. XV.

Atque haec nervorum cerebrique conditio catalepſeos eſſentiam veram conſtituit, eamque a ceteris omnibus, qui ad functiones animales referuntur, morbis diſtinguit. Verum Pathologi

non

non ſolent adeo iſtiusmodi definitiones amare, quae ab occultis morborum eſſentiis repetuntur, quia, ac recte, iisdem illas praeferant, quae a rebus, ſub ſenſus cadentibus, i. e. morborum ſymptomatibus deſumuntur. Iam igitur talis catalepſeos definitio quaerenda erit. Et primum quidem, quod attentionem meretur, ſymptoma ea ipſa eſt, de qua §. antecedenti loquuti ſumus, ſenſuum internorum et externorum abſentia. Verum haec, cum in tot morbis compareat a catalepſi multum diverſis, huic definiendae nondum ſufficit. Itaque aliud ei ſymptoma adjungi debet, quo catalepſis a ceteris, quas ſenſuum abſentia comitatur, affectionibus diſcernatur. Atque hoc cerea partium atque membrorum flexibilitate contineri, exiſtimo [s]). Novimus enim, membra eorum, qui vera puraque catalepſi tenentur, non ſolum ſanorum inſtar flexilia eſſe, ſed cum eo etiam ut motus primum ab anima, ingruente paroxyſmo, dein, hoc vigente, ab adſtantibus impreſſos, indeque pendentem ſitum, figuramque partium et corporis, retinere queant, idemque ſine ulla aegri conſcientia. Ut igitur cera mollior, ſic catalepticus et flexilis eſt et ad ſuſcipiendam retinendamque figuram quamlibet aptus. Quam etiam ob cauſam flexibilitatem, qua gaudent cataleptici, *ceream* nominarunt ſummi in arte viri [t]). Video eam ab aliis ad *rigorem* referri, quod incongruum videtur [u]). Quam vero ob rationem Clar. viri

s) Recte jam Franc. Deleboe *Sylvius* in Praxi med. Lib. II. Cap. XXIV. §. IV. idem fere monuit.

t) *van Suiten* Comm. ad Aphor. Boerh. §. 1036.

u) Id quod in ſubſequenti Capite de differentiis Catalepti-

viri *Iohann. Guil. Baumer* x) et *Georg. Frider. Schraff* y), cereae flexilitatis nomen, ipſis procul dubio notum, tantum horruerint, ut potius *paſſivam* dicerent catalepticorum flexilitatem, qua ceterum optime in definienda catalepſi utuntur, equidem non bene comprehendo. *Paſſiva* enim flexibilitas proprie partibus tum demum tribui poteſt, quando vi alia, non propria, flecti poſſunt. Qua notione admiſſa, paralyticis, apoplecticis, ſyncopticis non minus quam Catalepticis flexibilitas paſſiva aſſignari debet, omnisque differentia, quae diverſiſſimas affectiones ratione flexibilitatis partium intercedit, evaneſcit, aut, ut conſtituatur, nova paſſivae flexilitatis diviſione indiget, inutili nunc omninoque ſupervacanea, cum cerea flexilitas non ſolum paſſivam, in univerſum ſpectatam, comprehendat, ſed id etiam, quod catalepticae flexilitati proprium eſt, non minus breviter, quam vere et pulchre exprimat. Quare cum cerea haec flexilitas, non ſolum in omni vera catalepſi (de pſeudocatalepticis enim hic non agimus) obſervetur z), ſed in

aliis

lepticorum verba facturi, paulo uberius explicare mens eſt.

x) In Programm. de Ecſtaſeos et Catalepſeos differentia, Gieſſae Cattorum 1776. Dicit enim: Catochen imperfectam ſubitanea ac temporaria motuum voluntariorum, perfectam omnium actionum animalium ſufflaminatione, dum membra interim *paſſive* flexilia manent, abſolvi.

y) Diſſert. ejus Inaug. de Catalepſeos vera notione &c. Gieſſae Cattorum, Praeſid. Baumero, 1776. Cap. I. pag. 5. §. I.

z) Motus animalis, inquit *Franc. Deleboe Sylvius* in l. c. nec aboletur, nec imminuitur, nec augetur, nec proprie depravatur, verum in eo ſtatu

aliis etiam morbis animales functiones turbantibus, deeſſe ſoleat: equidem idcirco, interroganti quid ſit Catalepſis? reſponderem, eſſe feriationem functionum animalium, cum cerea corporis flexilitate.

§. XVI.

Liceat autem hanc definitionem paucis adhuc illuſtrare. Quemadmodum videmus corpus catalepticorum in eodem poſitu manere, quo a morbo correptum fuit: ſic etiam mens eorum, durante paroxyſmo, non omnino quieſcere et a laboribus ſuis vacare videtur. Quod cum contendo, ſane non eas actiones intelligi volo, quas mens humana vel a corporis commercio liberata, velutique corporeis vinculis ſoluta, exerit et in ſe ipſa producit. Nam ab his animam nullo tempore feriari, ſaniores Philoſophi jam dudum intellexere, evictumque dedere [a]). Mens enim virium

ſtatu et poſito permanet. Et paulo poſt §. 27. hoc Symptoma omni ſemper et ſoli Catalepſi accidere recte autumat.

a) Contendit id quoque Ill. *Ioſeph de Fagaras* in Diſſert. ſur la force primitive, qui a remporté le prix *propoſé* par l' Academie Royal 1780. *Berlin.* Quippe qui, pag. 16. Evidenter, inquit, oſtendimus vim animae non eſſe concipiendam ut meram potentiam, neque vim eandem eſſe cum mutationibus, cum eadem ſemper maneat et perduret. Illud ipſum poſſibilitate agendi plus, ab ipſa tamen actione diſtinctum, nil aliud eſt, quam ratio ſufficiens earundem, id ipſum, ex cujus praeſenti determinatione intelligitur actio, hoc tempore producta. Ita effectus obſervati, nos ad vires, eorundem rationes ducunt. Vires ſi exiſtant, determinatae eſſe debent, ſi determinatae ſunt, agunt, et quia perdurant, continuos effectus edunt. Ponas vim ab omni tantiſper ceſſare actione, exiſtet ea, adeoque aliquid amplius

virium iſtam et remiſſionem et ſolutionem, quae in ente compoſito, aut ſi mavis, ſimplicitatis experte, poſſibilis eſt, omni modo abhorret; ſiquidem vis vera eſt, et ens omnino ſimplex. Quivis igitur, abſono materialiſmi errore non contaminatus [b]), concedat mentem noſtram, nec ſuperſtite ea, quam nunc vivimus, vita, nec ab ipſa etiam morte quieſcere ſeu otioſam eſſe [c]), licet nos, ut homines ſpectati, actionis ejus non ſemper ſimus conſcii. Habesne hujus aſſertionis qualecunque teſtimonium, quando circa hominum lectos

Somnia fallaci ludant temeraria nocte? [d])

Nec probandam eſſe cenſeo *Lockii*, acutiſſimi alias philoſophi rerumque indagatoris, comparationem [e]), qua ductus exiſtimat, non magis eſſe

plius poſſibilitate agendi, in ſe continet. Plus illud eſt ipſum illud, ex quo intelligitur, cur adſit potius effectus, quam non adſit; at tali poſita ratione, effectus abeſſe nequit, &c.

b) Sunt autem et nunc temporis opinionis illius aſſeclae permulti. Id quod nuperrime rurſus docuit libellus: Pſychologiſche Verſuche, ein Beytrag zur eſoteriſchen Logik, Frankf. 1780, ubi aperte dicit autor: Wenn Senſibilität, Bewuſtſeyn, Gedächtniſs und Einbildungskraft, Verſtand und Vernunft lediglich von gewiſſen Theilen unſers Cörpers abhängt; wenn die Stärke und Schwäche aller dieſer Kräfte mit der Stärke des äuſern und innern Mechaniſmus ab- und zunimmt &c. *ſo kommt mir kein Gedanke ſonderbarer vor, als die willkürliche Umſchaffung des Gehirns in ein einfach Weſen*, &c.

c) Si tibi Medicum, de hacce materia optime judicantem adire placuerit, lege *I. G. Plecker*, Diſp. Lipſ. ſub praeſidio Ill. *Plazii*, de ſenſibus internis morborum cauſis, §. V.

d) Tibull. Libr. III. eleg. IV. v. 7.

e) Libr. I. de Intellectu Cap. XXIII.

eſſe neceſſarium ut anima ſemper cogitet (illud cogitare autem ſenſu latiſſimo ſumit,) quam ut corpus indeſinenter moveatur. In corpore enim potentia motum recipiendi habetur pro paſſiva, vis animae eſt activa; in corpore praeter motum concipiuntur adeſſe realitates a motu diſtinctae, anima vero omnibus prorſus perceptionibus ſpoliata redigeretur ad nihilum *f*). Sed medicus ipſe medice tantum de mentis actionibus loquor, easque volo, quas anima ſyſtemati nervorum quaſi alligata, in hujus ſocietate exerit. Atque has in morbis ſuſpendi aut ſufflaminari poſſe, quis eſt, qui dubitet? In catalepſi autem non ceſſant, non deficiunt, ſed libere exercentur, in tantum nempe, in quantum adveniente paroxyſmo exercentur. Aeger igitur, catalepſi pura tentatus, ſentit, cogitat, vult, ſed id modo, quod incipiente paroxyſmo ſenſit, cogitavit, voluit. Quod niſi verum eſſet: potuiſſetne catalepticus eundem corporis poſitum conſtanter, et accurate quidem retinere? Narratur hominis exemplum, qui, cum orationem dominicam precari voluiſſet, ſyllabamque UN edixiſſet,

f) Nec etiam vis animae, quo minus ullum effectum edat, impediri poteſt. Impedimentum enim, impediendo ageret, adeoque vim haberet; at effectus quidem effectui, limitatio limitationi, non vero vis vi, realitas realitati contraria eſſe poteſt. Opponatur vi gravitatis vel elaſticitatis obſtaculum, motus quidem ſenſu perceptibilis, non niſus tollitur, preſſio, effectus certe virium obſervatur. Impedimentum itaque quo minus vis *certum* effectum producat, impedit; ut vero nullum edat, praeſtare nequit. cf. *De Fagaras* Diſſertation ſur la force primitive, Berlin 1780. pag. 17.

ſet, catalepſi corriperetur, ea finita alteram ſyllabam SER enuncians g). Simile quid, ubi actiones animae omnino ſuſpenduntur, aut ſupprimuntur, nunquam obſervabis.

§. XVII.

Quae cum ita ſint, haud bene in Catalepſi functiones animales dicuntur ceſſare, ſufflaminari, ſupprimi &c. Plerumque quidem medici, ut abſentiam functionum animalium in morbis indicent, indiſcriminatim iſtis vocibus utuntur, id ipſum vero improbandum eſſe exiſtimo. Nam functiones animales non uno modo in morbis deeſſe obſervantur. Quid igitur impedit, quo minus etiam verbis diſtinguantur? Disruptum tibi fingas velim, a raptu humorum verſus caput, cerebri vas; ſanguinemque aut fluidum aliud inde ſic effundi, ut ſenſorium commune, quemcunque ceterum locum illi aſſignare tibi placeat h), opprimatur, fluidum nerveum (aut ſi mavis, electricum *Meſmeri* quondam magneticum, nunc alio nomine ab eo inſignitum,) i) in

g) *Hirſchels* Gedanken von der Starrſucht; Berlin 1769. Seite 10. §. VII.

h) cf. *Johann Chriſt. Meyer* Anatomiſche Phyſiologiſche Abhandlung vom Gehirn und Rückenmark vor Aerzte und Anthropologen, Leipzig 1780 ubi ſenſorium commune in ponte Varoli et medulla oblongata poſitum eſſe, non incongrue demonſtrare conatur. Ut taceam Frid. *Hoffmannum*, aliosque de hac re differentes Anatomicos.

i) Obſervations ſur le Magnetiſme animal par Mſr. d'Eſton, Docteur Regent de la Faculté de Medicine de Paris 1780. Quippe qui *Meſmeri* curationes videns magni eum aeſtumat. Ipſe novi amicum hic Halae, qui per anni ſpatium, omnibus ejus

in corpus rite agere nequeat, ſicque ad tempus animales functiones laedantur; hanc animalium functionum abnormitatem, *ſuppreſſionis* voce recte denominare poteris. Fac, eodem ſanguinis aut alii fluidi effluvio, partem ſenſorii ita velut deſtrui, ut nervus in partem quandam, vim ſentientem transferens, agere amplius non poſſit, nullaque ſanationis ſpes arrideat; tunc in ea parte ceſſare commode dices functionem? Nihil ſane, utique cum in haemorrhagiis naturalibus, velut menſibus, verba: *emanſio*, *ſuppreſſio*, *ceſſatio*, minime male a ſe invicem diſtinguant Medici. Ut enim menſium, qui jam adfuerunt, abſentia, quando cum reditus ſpe incidit, *ſuppreſſio*, absque ea ſpe comparens, ceſſatio menſium audit: ſic eodem modo *ſuppreſſio* functionum animalium ab earundem *ceſſatione* diſcerni poſſet. In catalepſi igitur functiones animales neque ſupprimuntur, neque ceſſant. Nec bene, cit. *Schraff* k) dixit: *Catalepſis eſt ſubitanea actionum animalium ſufflaminatio, remanente corporis flexibilitate paſſiva:* Nam *ſufflaminatio* functionum animalium, harum ſuppreſſioni reſpondet. Diſplicet quoque quod *ſubitanea* dicatur. Interdum enim catalepſis lentius obrepit; nec indiget ejus definitio additione iſta. Verbum autem, quod functionum animalium laeſionem in catalepſi adaequate exprimat, vix invenio. *Feriationem* eam, parum

ejus operationibus Viennae adfuit, et familiari eo uſus eſt; cujus de eo narrationes, non fide dignas habere nequeo.

k) Diſſ. Inaug. De Catalepſeos vera notione &c. Cap. I. §. I.

parum quidem latine, vocavi; non eam ob rationem ac ſi credam Catalepticos vere a functionibus animalibus feriari, ſed quod catalepticus, feriantis inſtar ſe habet, qui a ſuetis laboribus non otioſus ceſſat, alio ea tempore continuaturus [l]).

XVIII.

In tanta hujus rei claritate, miror fuiſſe, qui in catalepſi nervos relaxari, ſeu, ut loqui amant, ſpirituum animalium influxum intercipi crederent; quod etiam Cel. *Baumero* elapſum eſſe (l. c. §. XXI.) doleo. Unquamne enim catalepſis, eo poſito, ſine paralyſi, exiſtere poſſit? Neque ii melius ſentiunt, qui nervos in catalepſi, velut obrigeſcere, ſed mitius, quam in tetano, arbitrantur. Nam rigor, catalepticis adſcriptus, a tetanoidea partium obrigeſcentia multum adhuc differt. Accuratius multo *Boerhaavius* l. m. c. catalepſeos, inquit, *proxima cauſa immobilitas ſenſorii communis, prout primo momento inſultus ſe habebat.* Et crederem fere, ſummum virum

 ean-

l) Neſcio igitur an voce germanica *die Starrſucht* ſatis ad deſignandam Catalepſin commode uti queamus. Videtur vox illa ab obrigeſcentia partium deſumta eſſe; haec vero in Catalepticis procul dubio, longe minus quam in tetano affectis conſpicua eſt. Novi, eſſe qui catalepſin ad tetanum referant; id ipſum autem veritati non conſentaneum eſſe, poſtea accuratius evictum dabimus. Equidem tetanum potius die Starrſucht, quam den Todtenkrampf nominarem, Catalepſin autem novo nomine die *Stätſucht* dicerem; nam in catalepticis functiones animales ſibi relictae in eo velut loco, quo progreſſae ſunt ſubſiſtunt immotae. (cf. *Boerhaave* Aphoriſm. de cognoſc. et curand. morb. §. 1037.) Sed in verbis faciles ſimus!

eandem ac nos ſententiam foviſſe, niſi ipſe, (*aphor.* 1036.) Cataleptico ſenſum omnem denegaſſet, et *perilluſtr.* b. m. Commentator Ejus, laudatum antea aphoriſmum non adeo ad ſenſus, quam motus tantum voluntarios retuliſſet. Haec enim habet: „In hac re mirabilis hujus morbi indoles imprimis eſt, quod ſopiantur omnes ſenſus interni et externi, ſuperſtite tamen efficacia cauſae muſcularis motus; ſed abeſt potentia mutandi directionem illius cauſae; unde omnia manent in eodem ſitu, quem habebant illo momento, dum morbus ingruebat. Ut hoc melius intelligatur, conſiderentur illa maxime miranda, quae in exercitio motuum muſcularium contingunt. Homo proponit per milliaris ſpatium pedibus incedere: domo exit, et ſaepe in toto itinere non amplius cogitat de motu corporis, quem inceptum continuat, amicorum colloquiis itineris taedia fallens, vel diverſis objectis obviis, novas continuo ideas in mente excitantibus; tamen pergit ambulando, licet omni momento non renovetur voluntas hunc motum faciendi, licet non habeat diſtinctam cognitionem cauſae, a qua ille motus producitur, nec inſtrumentorum, per quae ille motus fit et continuatur.„ — In Catalepſi vera puraque ſenſus interni et externi, certe non magis, quam motus voluntarii *ſopiuntur;* manent modo, ut hi, in eodem ſtatu. Eam caeterum comparationem, qua ad illuſtrandam catalepſin, Perill. v. *Suiten* recenſito in loco utitur, multopere laudavit Clar. *Hirſchel* [m]), quod rectene ab eo

m) D. Hirſchel Gedanken von der Starrſucht, Berlin 1769. pag. 9.

eo factum, videant alii. Equidem lubentius catalepticum compararem aut horologio, quod vitioſe intermittit, aut homini, qui uni ideae inhaerens, gradum per aliquod tempus ſiſtit, immotusve manet. Optimus *de Haen* unus forte ex omnibus eſt, qui Catalepſis naturam recte intellexit. *Quod, inquit, in corpore* (Catalepticorum) *obſervamus, idem de mente cogitemus. Quoties enim obſervatum non eſt, ideam ultimam verbis expreſſam, ante paroxyſmum, ita eandem manere, ita eſſe immutabilem, ut denuo prima ſit, quam homo habet, verbisque enuntiet, catalepſi, quantumvis diuturna, ſoluta? Ut profecto, quemadmodum muſculi, ſi ab aliis non mutentur, ita ſoluto paroxyſmo ſe habent, quam immediate ante illum habebant; ita quoque maneat impreſſio idearum, et conſequens inde, ratiocinio* &c. [n])

§. XIX.

Supereſt, ut de functionibus vitalibus, reſpiratione et pulſu quid adjiciam. In rariſſimis caſibus, ut videtur, integrae manent; plerumque autem paulo debiliores evadunt [o]). Puramque catalepſin functiones vitales vix multum turbare poſſe, patet e natura ejus, cum ſomni affectionibus comparata. Non raro tamen haud levi modo turbantur, interdumque una earum bene peragitur, dum alteram variis modis depravatam obſervamus. Cujus rei rationem in eo ſitam eſſe, quod in catalepſi mixta cauſſae ejus aut ſpaſmos, aut reſolu-

n) Rat. Medend. IV. p. m. 204.

o) vid. *Boerhaave* et *Suieten* aphor. 1039. et ibi laudatum *Hoffmannum* l. c. p. 118. et 130.

ſolutiones partium inferant, unicuique patere exiſtimo. Quam facile enim loca vitalia morbis generis nervoſi turbari poſſint, vel copia nervorum, ea adeuntium, ſuadet. Ne pulmones quidem adeo, ut viro ſummo, *Hallero* viſum, inſenſiles ſunt *p*).

p) cf. b. *Neubaueri* deſcript. anat. Nerv. Card. Part. I. Jenae 1772. Accedit magna Ill. *Wrisbergii* in re anatomica autoritas. Qui in nova Edit. prim. lin. Phyſiol. *Halleri*, 1780. edita, p. 128. his verbis aſſurgit: Quo ſenſu dici poſſit, pulmones nec multos, nec magnos habere nervos, anatomicis rationibus permotus non perſpicio, &c. Obſervata (pergit idem paullo poſt) me edocuerunt, primarium nervorum pulmonarium fontem eſſe par octavum, quod plexum pulmonalem anteriorem minorem, tribus plerumque ſurculis conſtantem et plexum pulmonalem poſteriorem majorem, ex 3 vel 4 majoribus et 2, 3 aut 4 minoribus filamentis formatum generat: accedere his aliquot ſurculos ex recurrente, ex cardiacis et nonnunquam addi aliquot filamenta in dextro latere, ex nervo phrenico, quae plexui anteriori intermiſcetur &c. Deſcribens vero fabricam plexus anterioris, tanquam minus cognitam, qualem in dextro latere in multis ſubjectis vidit, his verbis pergit: Deſcendit ex octavo poſt recurrentis egreſſum notabilis ramus, ad anteriora, inter arteriam anonymam et bronchum dextrum, hic ſtatim datis, nonnullis ſurculis ad tunicas arteriae, in duos ramos dehiſcit, quorum unus cardiacus fit, alter bronchum attingit, et cum illo ad pulmonem deſcendit, aliquot ramos magis ad exteriora mittit, qui cum alio majori ramo, ex 8vo trunco deſcendente confluit et elegans *ganglion pulmonare* dicendum componit. Ex quo ganglio quinque vel ſex rami cum vaſis per pulmonem diſtribuuntur &c. Ex quibus egregiis Wrisbergii dictis, pluribusque publicis Cenſoriis acceptis, non ſolum magna ſympathia pulmonum, ſed ut mirum non ſit deficiente voce reſpirationem, minus aut magis laedi, eluceſcere arbitror.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DIFFERENTIAE CATALEPSEOS ESSENTIALES ET ACCIDENTALES.

§. I.

Licet autem tam aperta ſint purae perfectaeque catalepſeos ſigna, ut vix cum illis confundi queant, quae ad alios morbos pertinent: permultos tamen catalepſin ad genus morborum retuliſſe video a noſtro prorſus alienum. Inter quorum coetum eminent, ſpaſmorum generibus eam adnumerantes [a]). Nec miror! Univerſalis enim ferme eſt Pathologorum error, quod ſpaſmi energiam, ultra quam par eſt, extendant [b]); accedit,

a) Qua opinione ſtabat, b. Praeceptor in arte medica noſter, J. P. *Eberhardus*, quem ſine honorifica praefatione (ut ait *Boerh.* de *Sydenhamo*) nominaſſe erubeſcerem. Vide ejus Med. theor. Part. II. p. 107. ubi dicit: eſt ſpaſmus univerſalis, per ſubitaneam abolitionem ſenſuum et motuum voluntariorum, ſalvis manentibus motibus vitalibus, ſe manifeſtans. Eandem ſententiam fovet b. *Nietzky* et plures Catalepſin ad ſpaſmos univerſales referentes.

b) Quid? ipſe Pathologorum facile princeps, Ill. *Gaubius*, hunc erraſſe videtur errorem. Quippe qui Pathol. §. 742. aſſerit: *Vix aliam dari* corporis vivi affectionem, cujus magis univerſalis ſit ſedes ac crebriores incidant occaſiones, quam ſpaſmi. Non prorſus congrue. Injuſtae enim cohaeſionis tanto plures ſunt, vis

cedit, quod dubio procul, aliqua catalepſeos, cum tetano, epiſthotono, emproſthotono et pleuroſthotono, ſit ſimilitudo. Nam eundem fere, ſicuti in catalepſi, ſitum retinent tetano deprehenſi, et prodromi illi, de quibus Capite I. §. III. dictum eſt quod in Catalepticis adeſſe et abeſſe poſſint, etiam in tetano, ejusque ſpeciebus, interdum adſunt, interdum deſunt. Obſervatione quidem docemur, in tetano ut plurimum deprehendi palpebrarum diſtorſionem, in Catalepſi nullam, in tetano extremitatum frigus, in Catalepſi calorem plurimum naturalem, in illo reſpirationem difficilem et abdomen planum durumque, in hac ſpirationem ſaepe liberam ac motum muſculorum abdominalium naturalem, &c. Cum autem omnia haec ſymptomata, interdum omninō, interdum ex parte, per accidentalem morbi genium differant; conſtantius omnino eorum quaerendum eſt characteriſticon. Id quod equidem in tetani rigore inveniri puto, flexibilitati cereae Catalepſeos prorſus contrario c). Sunt qui-

vis affectiones, quanto partes cohaerentes numero ſuperant eas, quae irritabiles ſunt.

c) Licet F. Hoffmannus Ration. Syſt. Med. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. §. 1. ſaxis, ſtatuisque marmoreis immobiliores eſſe dicat Catalepticos; haec ejus verba rite interpreteris neceſſe eſt. Nam ratione ſubjecti ipſius cataleptici, haec ejus immobilitas intelligi debet. Sequenti enim §pho ipſe nudis his verbis adjecit: Realis eſt, quae Catalepſin et tetanum intercedit differentia. Quemadmodum enim totum corpus et cuncta membra in tetano tanto rigore diſtenduntur, ut ligno rigidiora, nec ſumma vi flectere aut incurvare valeas, e contrario in Catalepſi immotum quidem ſtat corpus, ſed flexibile manet et quoscunque artus flectere et agitare potes.

quidem, qui, Catalepſin, per minorem gradum rigiditatis a tetano diſtinguentes, ſpaſmum tamen eſſe autument [d]). Sed in Catalepſi qua tali nullum adeſſe rigorem, e ſupra dictis evictum jam eſt. An autem ſpaſmus ſine rigore aliquali cogitari poteſt tonicus? aut ſtatum iſtum fibrarum muſcularium, flexibilitatis compotem, cum Cl. *Bilfingero* [e]) ſpaſticum nominare poſſumus? Id quod negare, pernegare non dubito. Spaſmus enim tonicus eſt contractio fibrarum muſcularium vehementiſſima et ad ſolutionem uſque perpetua. Quae cum appropinquationem partium minimarum ſupponat, neceſſe eſt, ut puncta contactus augeantur. Cujus ſequela eſt major cohaeſio, et quod immediate ex ea fluit, major contra vires diſtrahentes reſiſtentia. Recte hac ratione jam *Sylvium* (l. c. §. 22.) Catalepſin ab eo diſtinctam habuiſſe, oſtendunt ejus verba: membra, ut et totum corpus flecti poteſt arte ac ſine vi, quod in ſpaſmis impoſſibile eſt, in quibus inflexibilia manent membra [f]).

Adde

d) Eberh. Med. theor. Pars II. l. c.

e) Tractatus *de tetano* Lindaviae 1736; quo catalepſin ſpaſmum ſine rigore permanentem nuncupare libuit.

f) I. C. *Starke* in Comm. de tetano Jenae 1781. edita, Sect. II. Cap. V. p. 68. eandem fere differentiam utriusque morbi conſtituit, dicens: in tetano omnia membra rigidiſſima ſunt atque articuli a muſculorum violenta contractione maxime tenſi, nullaque vi ac potentia flecti et extendi poſſunt, faciliusque frangerentur, quam ut vi adhibitae cederent. — Sed poſtea p. 69. adjectas differentias, accidentales prorſus judico. Putat e. g. tetanum exinde etiam a Catalepſi diſcerni poſſe, quod mens, ſtatim poſt acceſſionem minime redit, ſed langueſcit, &c. et

quod

Adde quod tetanus et Catalepſis etiam eo differant, quod ille muſculorum magis, haec nervorum primarius ſit affectus. Idem fere jam Galenus [g]) ſentit, optime evictum dedere Petr. *Neugebauer* de tetano [h]) et Georg. Fr. *Schraff* [i]) de Catalepſi differentes. Eodem fere modo ſpaſmum illum univerſalem, cum ceſſatione ſenſuum et convulſivis motibus conjunctum, epilepſiam puta [k]), a Catalepſi diſcerni poſſe intelligis.

§. II.

Excuſatius paulo Catalepſin permultos cum ecſtaſi commutaſſe judico. Eſt enim hujus longe propior cum illa, analogia; quum genus idem intret uterque morbus, haud vero eandem ſpeciem. Autores autem utriusque morbi genium confundentes, in duplicem abire invenies erroneam ſententiam. Alii enim nudis verbis catalepſin et ecſtaſin unum eundemque morbum eſſe affirmant. Alii id negantes, utriusque ſymptomata

quod tetanus exquiſitus primum invadens ſaepe trucidet, Catalepſis non niſi raro &c. Quae, non omnibus obſervatis reſpondere, ex Cap. de accident. differ. vides.

g) De Sympt. differ. Cap. III. Catalepſis, inquit, magis nervorum praeternaturalem reſolutionem quam muſculorum tenſionem eſſe. Scimus autem, quo ſenſu *reſolutio* hic accipi debeat.

h) Diſſert. Inaug. de tetano, Praeſ. Fr. Cartheuſer, Francofurt. ad Viadr. 1774. §. VI. pag. 9.

i) In Diſſert. ſ. cit. §. XI.

k) Permulti quidem epilepſiam Convulſionem univerſalem nominare amant. Cum autem convulſionem antagoniſtarum magis reciprocum ſpaſmum appellarem, et ſimplices etiam in ea ſpaſmi deprehendantur; (ut ſpaſmus digitorum, veſicae, Inteſtini recti, &c.) jam quare hac definitione magis uti libuerit, vides.

mata narrantes, aut eam definientes, tacite ambos commutant. Quorum, qui priori ſententiae favent, Cel. *Camerarius* refert nonnullos [l]). Quemadmodum enim Cel. *Bilſinger* [m]) catalepſin ecſtaſin eſſe, et catalepticos, finito paroxyſmo, viſa, auditaque mirifica facta enumerare, contendit; ſic et *Alexius* [n]) ecſtaſin et catalepſin unum, eundemque morbum eſſe, aperte aſſeruit. Io. Gottfr. *Brendel* [o]) Catalepſin definiturus, eſt ſumma, inquit, quaedam et ultima mentis, meditationibus profundis occupatae, ab attentione ad ea, quae ſenſus externos afficere poſſunt, abſtractio. Quam completam fere Ecſtaſeos concedo eſſe definitionem, non autem Catalepſeos. Ecſtaſis enim, ut ipſe egregie monet Ill. *Baumer* [p]), de dimotione e ſtatu quodam, univerſali ſenſu ſumitur. Congrue idcirco ἐκϛάσεως nomine morbum illum inſignierunt, qui totius animae vires in unum quaſi centrum agentes, ad altiora attollit. Vires enim animae ſunt limitatae [q]). Quodſi igitur, phantaſia operante, ideae quaedam ſummum vitae

l) Cautel. medic. pag. CCLXXXIII.

m) Supr. c.

n) Tract. de partic. corp. hum. morb. p. CXVII. Sic etiam Sam. *Hartviſſ* in Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. An. III. Obſ. 88. p. 141. Ecſtaſeos nomine Catalepſin indicat. Et alii.

o) Opuſcul. Med. Argum. Part. II. Diſſ. V. p. 90. §. V. Ipſe Fridr. Hoffmann in Med. Syſt. Rat. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. §. 1. Catalepſeos definitioni verba adjecit: *vis imaginationis magis* intenditur.

p) Progr. de Ecſtaſeos et Catal. differentia. Gieſſae Cattor. 1776. pag. 4.

q) Fagaras Diſſert. ſur la force primit. 1780. Berlin l. c.

tae claritatisque gradum aſſequuntur, non poteſt fieri, quin aliae interea ideae plane obſcurentur. Obſervandum enim eſt (ut recentioris Philoſophi verbis utar) quotidianas cujuslibet occupationes, idearum aliquarum repetitionem vel factam vel omiſſam cum vi mentis noſtrae, (ex qua vim etiam imaginationis et memoriae, ſaltem ex parte dependere oſtendi poteſt,) collata, conſtituere horizontem quendam idearum clararum ab unaquaque occaſione revocabilium. Quam Philoſophi opinionem, haud parum ad intelligendam Ecſtaſeos naturam valere judico. Vides enim, quod in illo horizonte, ubi ideae quaedam ad ſummum claritatis gradum aſcendunt, omnes reliquae obſcurari poſſint, ut ſtellae ſole ſplendente relative obſcurantur. Accedit inde abſtractio ab iis, quae ſenſus externos afficere poſſunt, ita ut ſitum antea acceptum retineant Ecſtatici, ut nullis ſtimulis excitari poſſint externe adplicatis, eodem fere modo quo Cataleptici. Phantaſmata, aliaeque mentis operationes, ab externis non turbatae, majorem adhuc claritatis gradum accipiunt, ita, ut poſt acceſſionem ideas illas e phantaſia oriundas, pro ſenſationibus veris habeant, et aliis id perſuadere ſatagant.

Quem, ubi obſervaveris ſtatum, Ecſtaſin cum pluribus Autoribus, recte nominabis. Differentia autem ejus et Catalepſeos per ſe tunc illuceſcere incipit. Nam feriationem functionum animalium Catalepſin diximus. Idcirco nullae in ea phantaſiae operationes oriri poſſunt novae, cum ſenſus interni aeque ac externi ferientur in

com-

completa Catalepſi, et idea eadem (ut docet obſervatio) quae ante paroxyſmum erat orta, ſub finem paroxyſmi adeſt. In Catalepſi autem incompleta, ii qui reſtant ſenſus interni, ab omni phantaſmate ſunt liberi, ut docent Hiſtoriae a nobis infra allatae [r]). Quae cum ſatis ad dignoſcendam utriusque naturam faciant, ut plura ſymptomata diſtinctiva anxie inquiramus, non opus eſt. Praecipue cum omnia reliqua per accidentalem morbi genium, egregie mutari ſciamus. Sic Ill. *Baumer* [s]), differentiis Ecſtaſeos et Catalepſeos adjicit: *Ecſtaſis nec tam diu, ut Catalepſis durare ſolet, ſed brevi tranſire.* Id quod eo ſenſu accipias velim, eſſe ab Autore brevium modo Ecſtaſium exempla obſervata lectave. Nam non ſolum *Zodiaci* ſcripta, triduum expleviſſe Ecſtaſin, docent; ſed plura. Ludov. *Hannemann* [t]) hiſtoriam refert puellae per triduum nullo modo excitandae Ecſtaticae, quae ad ſe reverſa ſuccenſuit, quod non in eodem ſtatu relicta fuiſſet; ineffabilia enim eſſe gaudia, quae interea temporis, proceſſiſſent.„ Praecipue eam Ecſtaſeos ſpeciem, quae aliis morbis ſupervenit, longam plerumque obſervare licuit. Rarius hic referendum eſt exemplum ibidem narratum de nobili quadam puella, quae pro defuncta jam habita, panno ex more conſuta, accerſitis ſacerdotibus, Libitinae jam deſtinata, emiſſo ex imo pectore ſuſpirio vitae ſuperſtitis indicia edidit. Multis remediis

r) vid. Hiſt. II. III. a nobis allata C. II.

s) De Ecſtaſeos et Catal. different. Progr. Gieſſae Cattorum 1776. p. 8.

t) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. LXXVI.

reſtituta, non gratias egit officiorum ſibi praeſtitorum, ſed querelas fudit, quod erepta ſibi eſſet incomprehenſa animi tranquillitas, voluptas gratiſſima, qua pluribus gaviſa ſit amoenis coeli imaginibus &c. Accedit quod Catalepſeos, per pauca tantum minuta durantis, exempla, numero ſuperent ea, quae Catalepſin plures dies expleviſſe docent.

§. III.

Homo, cujus mens ſtupet, longe proprius ad catalepticum accedit. Immotus enim eſt et inſenſilis, mens ipſa uni ideae inhaeret. Videtur huc exemplum referri poſſe, quod habet *Boerhaavius* u). Narrant, inquit, hiſtorici, in conflictu acerrimo in Pannoniis inter Tracas et Chriſtianos fuiſſe hominem tam animoſum, ut omnes percellerentur ejus magnanimitate, donec confoſſus vulneribus caderet mortuus; quaerentibus omnibus, quis ille eſſet, tandem belli dux juſſit, ut inſpiceretur cadaver; videns tunc, illum eſſe filium ſuum unicum, plangentibus reliquis obriguit; non gemit, ſed ſtat immobilis et non mutatus, et ſic moritur. Videtis ſummum ingratae ideae dominium, eamque imperium habuiſſe in omnes facultates, vitales, naturales, animales, easque omnes uno momento fuiſſe deletas. „Idem autem ſtupor mentis, cerea inprimis partium flexilitate, impreſſiones in cataleptico non recipiente ſolum, ſed etiam retinente, a catalepſi optime diſtinguitur.

§. IV.

u) De morbis Nervorum. Edit. Jac. *van Eems* pag. 403.

§. IV.

Non minores interdum, ob accidentalium quorundam, immo plurimorum ſymptomatum ſimilitudinem, naſcuntur difficultates Catalepſin ab Apoplexia rite diſtincturis. Quae cum etiam ut illa immobilitatem, ſenſuumque in- et externorum abſentiam cum adjuncta flexilitate partium comites habeat: haud ſane mirandum, multos medicos, veteranos etiam interdum, ad Catalepticum vocatos, Apoplexia eum laborare dixiſſe. Dolor capitis, memoriae debilitas, virium languor, torpor artuum, rubor faciei &c. utriusque morbi prodromos ſcimus eſſe communes. In utroque etiam morbo abeſſe poſſunt. Idem de tremore, ſpaſmis particularibus, ſentiendum. Quae ſcilicet, licet ſimplicem Catalepſin rariſſime, omnino tamen complicatam annunciaſſe novimus. Senſus, motusque voluntarii, non ſemper in apoplexia, uti monet ill. *Ludwig* x), tam tarde, ut gradum creſcentis morbi agnoſcas, ſed ſubito plerumque y), quemadmodum in Catalepſi, abeſſe ſcimus functiones animales. Os hiat apoplectici, ſed etiam Catalepſi laborantis, praeprimis ſi loquendo ſit correptus. Oculi interdum in utroque affectu ſunt clauſi, facies plerumque rubicunda &c. Quibus exinde, in tanta ſymptomatum utriusque morbi ſimilitudine, ſignis pathognomicis eſt utendum? Autumant quidem permulti, cum Cel. *Barbette* z), Catalepſin

x) Inſtit. Clin. med. §. 629.
y) Boerhave Aphor. de cogn. et curand. morb. §. 1028.
z) Prax. medic. libr. I. Cap. III.

Catalepſin cum apoplexia in plurimis convenire, in hac tamen reſpirandi difficultatem cum ſtertore, in illa ſpirationem fere naturalem adeſſe. Id quod plurimis quidem caſibus ſignum fere pathognomicum nobis praebet. Non in omnibus autem. Monuit enim Cel. *Morgagni* [a]): *Valſalvam* in apoplexia, eademque lethali, reſpirationem obſervaſſe, non modo ordinatam et aequabilem, ut Verattum, ſed omnino naturalem. Nec ſemper ſtertoroſam, ſed multis apoplecticis laborioſam, aut difficilem modo, eſſe ſpirationem, obſervatio docet. Quam vero etiam in Catalepſi praecipue graviori [b]) obſervaverunt fide digni autores. Idcirco pro vero pathognomici ſymptomate, reſpirationem dictam vix accipi poſſe, arbitror. Sunt quidem et alia apoplexiae ſymptomata, quae, omnia ſimul ſumta, omnino ad utrumque morbum dignoſcendum non parum faciunt. Ut ſphincterum reſolutio, profluvium ſanguinis ex auribus naribusque, os ſpumans, paralyſes ſubſequentes &c. quae omnia autem partim non in omni adſunt apoplexia, partim circa finem plerumque apoplexiae demum accedunt. Verum parum noſtra referret, ſub finem demum dignoſcere morbum. Id circo aliud inquirendum eſt Catalepſeos ſymptoma, idemque conſtantius, pathognomici nomine dignius. Quod

a) Epiſt. II. n. 13. 14.

b) Qua ratione Deleboe Sylvius in Prax. med. Lib. II. Cap. XXIV. §. 51. reſpirationis et pulſus alienatione ad Prognoſin utitur Catalepſeos et eo gradu graviorem eſſe autumat Catalepſin, quo magis reſpiratio laedatur. Id quod in genere, non ſemper valet.

Quod equidem in cerea iſta flexibilitate ponere, nullus dubito. Si enim apoplectici membra tentabis, laxa invenies ea, nec paria ad corpus erectum ſuſtinendum; jacent interdum et Catalepti-ci, ſed nunquam niſi antea decubuerint; adde, quod, iſtius flexibilitatis cereae ope, elevatum maneat, in quovis ſitu velis, brachium, quodlibet membrum (C. I. §. IV.). Id quod in apoplexia nunquam obſervabis, qua tali [c]). Iam ſupra monui de differentia tantum perfectae Catalepſeos hic agi. Nam in imperfecta, membra quidem ab aliis elevata, interdum ſenſim ſenſimque, propriae gravitatis legem ſequentia, retrocedunt. Sed hujus differentia ab apoplexia cum ex hoc ipſo, tum inde patet, quod in incompleta catalepſi ſaepe ſenſus adſint, in apoplexia autem interceptio eorum obtinere ſoleat.

§. V.

Eodem fere modo a ſomno profundo, cujus imaginem refert Catalepſis, et in quo omnes ſilent functiones animales, diſtingui poteſt et naturali et morboſo. Non enim ex omni ſomno naturali tam facile evigilant aegri, quam putes, praecipue laboribus ac diuturnis vigiliis exhauſti. Stre-

c) Sylvius Prax. med. C. 24. §. 49. Non quidem me fugit. cl. Dn. Schraff in cit. Diff. de Catalepſ. vera notione §. X. pag. 14. in hanc ſententiam abire: Apoplexiam et Catalepſin perfectam in eo quod mentis actiones, motusque voluntarii ad tempus interrupti ſint et corpus in acceſſione, quin etiam poſt mortem, flexibile ſit, ſimilitudinem habere: Quod verum quodammodo. Interim flexilitas in apoplecticis multum adhuc ab ea differt, quae in catalepticis conſpicua eſt.

Strenuiſſimum bellatorem vidit Immort. Suiten [d]), qui in urbe obſeſſa, per quadraginta et octo horas, nullum ſomnum ceperat; tandem pallio involutus, humi procubuit, medius inter bina tormenta bellica, ex quibus globi miſſiles majores projiciebantur continuo, tamen nec turba circumſtrepentium militum, nec horrendi et continui fere machinarum ignivomarum fragores illum a placidiſſimo ſomno, quo per decem adhuc horas fruebatur, excitare potuerunt.„ Quomodo, quaeſo, eum a Cataleptico jacente diſtinguas? Eone forte, quod ſponte demum evigilat? Sed catalepticus quoque ſponte interdum ad ſe redit. Et in affectibus ſoporoſis excitatione ſaepe opus eſt. Praeterea hic agitur de diagnoſi, non de anamneſi, horum affectuum. Fortene igitur per majores corpori ipſi adplicatos ſtimulos? Verum et hi non ſemper profundum ſomnum eumque vel naturalem fugant. Ipſe enim, quem modo citavi, van Suiten [e]), non unum, ſed aliquot caſus ſe vidiſſe dicit, ubi, dum in lecto vaſa, ferventi aqua plena, ſub ſtragulis repoſuerant, ut a frigore homines ſe defenderent, *crura* miſerrime *combuſta* fuerint, absque eo, quod evigilaſſent per tantum dolorem, profundo tali ſomno ſepulti. Adde quod etiam in Catalepſeos paroxyſmo, praecipue ad finem accelerante, ſtimulantia acriora interdum ſuſcitent aegrum, uti ſupra narratum eſt. Quomodo igitur morboſam inprimis ſomni profunditatem, aut etiam ſyncopen

d) Comm. ad Aph. Boerh. §. 1008. p. 252.
e) Ibid. l. c.

pen a Catalepſi, in ſtatu ejus vocatus, diſtinguere poteris? Praeprimis ſi haec ad illam ſpeciem accedit, quam ill. G. W. *Wedelius* f) narrat, nempe periodicam. Adoleſcens, uti refert, circa 26 annum ſanus corpore et vegetus, niſi quod gentilitio regionis ſcorbutico ſeminio laborare, praeſumi poſſit, altero poſt reditum ex itinere, die, cum ſuis operibus mechanicis adſtaret, maxima pectoris anxietate corripitur deſubito, eodemque momento turbatur caput, linguae uſus ſiſtitur, ut, qui juvet, invocare poſſet neminem. Collapſus itaque jacuit, ſemihorae quaſi ſpatio, omnis ſenſus expers, ſed quietus absque tremore et motibus convulſivis, facie pallidus et uvidus circa frontem ſine reſpiratione ſenſibili inſtar mortui, absque pulſu notabili. Eluctatus tandem quaſi e ſomno, nullo adhibito remedio, ad ſe rediit, nullo aegritudinis relicto ſigno. Rediit hic morbus, eadem ſemper facie, niſi quod reditum ſubinde acceleraret, uti apparere hoc poteſt e ſequenti diebus ejus acceſſionis adductis: 31 Jan.; 5, 28 Mart. 11, 29 Apr.; 25 Mai. 3 Jun.; 3. 29 Jul.; 28 Aug.; 2, 5, 21, 23 Septb.; 6, 9, 14, 22 Oct. &c. Diebus autem a malo immunibus, a ſano nihil differens, negotia ſua expedite peregit. Nonne aliquorum ſymptomatum ſumma, et aliqua omnium eorum cum Catalepticis ſimilitudo? Quae cum ita ſint, nec iſtum profundum ſomnum naturalem, neque morboſum, neque ſyncopes ſpecies, rite, ſemper, accurateque in

 ſtatu

f) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. X. p. 21. ſub titulo: Syncope periodica.

ſtatu ipſo, poſſunt diſcerni a Catalepſeos ſpeciebus, niſi eadem flexibilitate cerea uti velis ad eorum diſtinctionem [g]). *Paſſiva* enim in ſoporoſis affectibus membrorum flexibilitas invenitur, qua membra elevari quidem ſinunt, et in alium locum, in quo ſuſtinentur, poni, ſed non *cerea* adeſt flexibilitas, qua quemcunque ſitum, vel contra propriam gravitatem ipſis datum, retinent. Iam Rondeletum [h]) gravem errorem intelligis erraſſe, dicentem: Catalepſin non multum a caro et lethargo, quantum ad actiones laeſas, ſed materia differre. Quod autem de ſyncope jam dictum eſt, de omnibus fere, quotquot ſint, affectibus ſoporoſis valet. Refert *Krügerus* [i]), reſtiarium quendam, qui vigeſimum tertium agebat annum, multoties interdiu graviſſimo correptum eſſe ſomno. Corrugabatur frons, donec magna fibrarum vehementia palpebrae ſenſim contraherentur, et firmiter denique occluderentur. Quo facto diurna negotia ſcite peragebat dormiens [k]). Iam ex illorum actione ipſa, quorum affectuum genus hic intret, ſat intelligis. Genus, opinor, lunaticorum, aut verius noctambulorum; quippe quod per ipſum motum continuatum, abunde a Catalepſi eſt diſtinguendum. Quamvis enim Cataleptici ſtatuae inſtar incedant coacti, (c. I. §. IV.) haud

g) Sylvius Prax. lib. II. Med. Cap. 24. §. 50.

h) Method. Curand. Morb. Cap. XX. p. 97.

i) Experimentalſeelenlehre. Anhang. Seite 44.

k) Simile quidquam mihi innotuit de quodam nuncio publico pedeſtri, qui per milliaris ſpatium ſaepe ita profunde dormit eundo, ut excitari vix poſſit. Interea tamen ne minimum a via ſua deflectit. Hunc quoque ad noctambulos pertinere, manifeſtum eſt.

haud tamen ſponte eunt; niſi forte, incipiente paroxyſmo, inter ambulandum correpti, paucos adhuc, (priusquam perſiſtant) faciant gradus.

§. VI.

Non autem ſemper, eodem in gradu, iisdemque plane phaenomenis comitata prodit Catalepſis. Eſt enim ubi una tantum functio animalis, illaeſis aliis, ſilet. Eſt ubi ſpecies certae cujusdam functionis animalis abeſt, e. g. ſenſuum internorum alius interdum abeſt, illaeſo aut minus laeſo altero [l]). Quae cum ita ſint, recte in *completam* et *incompletam* dividi poteſt Catalepſis. Quam ejus diviſionem multis, iisque principibus Pathologis acceptam invenies. Quo jure enim Cel. Schraff, (in l. D. c. §. II. p. 6.) differentiam completae et incompletae paucos autores agnoviſſe

l) Quod enim nexus ſenſationum internarum, non ſit ita arctus, ne unius ſine alterius alienatione eſſe poſſit, jam ex theoria et obſervatione patet. Ex theoria, quoniam vero ſimile eſt, ut Ill. Io. Chriſt. Andr. *Meyer* in libro ſuo: Von dem Gehirn und Rückenmark vor Aerzte und Anthropologen 1780. uberius demonſtrat, varium eſſe ad quamlibet animae functionem, cerebri locum. Obſervatio autem docet, non ſolum, quod in ſtatu naturali, mox phantaſia vividior ſit, intellectu, mox vero v. v. res ſe habeat, ſed etiam in ſtatu morboſo memoria ſaepe, ſalva phantaſia, plane pereat. Ad quam rem confirmandam teſtes plures adducere poſſem, ut Foreſt. lib. X. Obſ. XXXII. Schenk Obſerv. lib. I. p. 77 &c. Spectat huc autem praecipue Io. *Schmidii* (Ephem. Nat. Cur. l. c. Obſ. 154.) obſervatio. Senem enim, ſuperata apoplexia, ſcribere quidem, ſed nec ſcripta ſua legere, nec aliorum litteram unicam cognoſcere potuiſſe, obſervavit.

viſſe autumet, non video m). Accidentalia ejus ſigna cum completae accidentalibus eadem eſſe poſſunt. Ideo vero differt incompleta et completa, quod una alterave functionum animalium vel omnino non, vel minus quam in completa laeſa ſit. Sunt enim cataleptici, qui factorum recordentur n), ſtimulos plus, minus validos ſentiant o), facultate partes voluntarie movendi mox omnino deſtituti, mox quodammodo gaudentes p). Eſt etiam ubi in imperfecta inflexum ab aliis membrum, aut ex ſitu ante paroxyſmum ſuſcepto, in naturalem, lege gravitatis deſcendit q). Quae omnia uberius ex ipſis obſervatis ſunt haurienda.

§. VII.

Hiſtor. I.

Adoleſcens quidam nobilis 18 circiter annorum ſtudiis in celebri quadam Academia germanica operam dans, catalepſi imperfecta, quandoque etiam inter eundum, dum Profeſſorum auditoria peteret, corripiebatur. Corpus erectum, oculi aperti, et mentis actiones integrae erant; ſed voci, motibusque voluntariis edendis impar erat,

m) Nam praeter De le Boe *Sylvium* in prax. med. lib. II. Cap. XXIV. Laur. *Strauſſium*, *Jonſtonium* &c. quos ipſe citavit, de hacce diviſione fari legimus adhuc permultos, e. g. *Vogel* Praelect. §. 569. p. 470. et 71. *v. Suiten* §. 1039. ubi verbis tantum aliis utitur, nempe *exquiſitae* et *levioris*. Idem *Zacotius* et *Rondelet* &c.

n) Galen. Prorrhet. I.

o) *Sauvages* Path. Method. l. c.

p) *Sylvius* Prax. med. lib. II. Cap. XXIV. §. XXXII. *Piſo* de cogn. et curand. morb. lib. I. Cap. XIII. p. 148. 149.

q) *Vogel* Praelect. §. 569.

erat, membris interim mobilitatem ſatis retinentibus. Privatus ſtudiorum atque morum ejus moderator morbi conſcius, atque ad paroxyſmum erupturum attentus, illo ingruente, aſſiſtens, ſerium colloquium ſimulabat, usque dum acceſſio diſpareret; ne haec transeuntibus ſpectaculum praeberet.

§. VIII.

Hiſtor. II. r)

Eruditus quidam, plethoricus, in puerili atque adoleſcentili aetate, crebrioribus, largioribusque narium haemorrhagiis, in adoleſcentili et juvenili, cephalaea, aſthmate ſicco, atque haemoptyſi laborans, in virili, poſt multas lucubrationes atque aerumnas, crebriore vertigine, apoplexiae prodromis, et per intervalla memoriae debilitate, non quoad cognitionem intuitivam, ſed ſymbolicam correptus fuit. Inprimis ſi caput attolleret, motum quaſi aquarum undulantium et ex ventriculis cerebri anterioribus, et tertio in quartum defluentium et ſimul vertiginem et mentis debilitatem ſentiebat. Poſt diutius protractam in loco frigido ſeſſionem, vertigine fere caduca, inſigni mentis corporisque debilitate quandoque corripiebatur, et ante oculos ſcintillae igneae adeo copioſe verſabantur, ac ſi totus aer his repletus eſſet. Larga ſanguinis miſſio, temporaria negotiorum intermiſſio, frigoris, potulentorumque calidorum, et ſollicita animi pathematum triſtium evitatio, haec mala ſemper iterum arcebant,

r) Schraff l. c.

bant, pluresque annos ſub his cautelis ſic ſatis recte valebat. Poſthaec, tempore hyemali, poſt mediam noctem hora tertia evigilans, praeter conſuetudinem ſupinus in lecto jacebat, lunae ſplendorem videbat et vigilis nocturni, quota hora audita ſit exclamantis, vocem diſtincte audiebat; ſed neque ullam vocem edere, neque ullum membrum movere poterat. In hoc ſtatu integrum trihorium, futuri anxius, at ſine ullo dolore, detinebatur, quo praeterlapſo ſimul ac ſemel membris motus, ſine ullo impedimento, redibat, et ex lecto proſiliens, ſine mora largam ſanguinis miſſionem inſtituebat, et poſtea per plures annos ſecunda valetudine fruebatur.

§. IX.

Hiſtor. III. s)

Puella, duodecim annorum frigida, mucoſa tota, catalepſi bis ter nycthemeri ſpatio repetente, corripitur; idque integro ferme menſis ſpatio. Catalepſis quacunque corporis poſitione eam deprehenderet, jacentem, ſtantem, incedentem, in manducatione cibos potusve ad os ducentem, ſemper illam in eadem poſitione ſervabat; niſi forte quis alius mutaret. Vix per octiduum hic fuerat morbi ſtatus, quin ingentem ſubiret mutationem. Quae enim taciturna olim, in paroxyſmis jam ſit garrula, tantaque cum rapiditate loquax, ut ſana nunquam tam praecipitanter loqueretur; ſed diſtincte tamen et ad rem. In pluribus paroxyſmis praeſens audivi eam Pſalmos Davidicos cantantem ritu Proteſtantium, quo-

s) de Haen Rat. med. P. IV. p. 200 ſequ.

quorum fide a teneris imbuta erat. Cantus autem illa notas muſicas exacte obſervabat, ut aſſeverabant adſtantes. Tum audivi recitantem Catechiſmum, quem tenuerat memoriter, una cum pluribus textibus ex ſacris bibliis, ad quaeſtionem catechiſmi quamlibet adpoſitis. Cum ad textus hos librum adjungeret ſacri autoris et caput et verſiculum, illico ego in catechiſmo id examinans ad litteram omnia prolata eſſe ſtupebam. Sed neque hic finis. In vitia hominum acriter inferebatur, et occaſione textuum laudatorum invehebatur in adultos et impudicos homines, praeprimis autem in hominem viduum, in vicinia habitantem, quod pellicem domi aleret; qui tamen ipſe paroxyſmum viſurus advolaverat, atque ita praeſens praeſentem audiebat has diras imprecationes in ſeſe proferentem, quamquam ipſe nullatenus puellae ſub conſpectum caderet. Saepius contigit, ut tum familia, tum ego maxime, quid doli ſubeſſe ſuſpicati, varia, explorandi gratia, tentaverimus; ſed nihil ſimile. Nunc unguibus teneram cutim ita vellicabam, ut multis poſt diebus impreſſa veſtigia gereret; nunc lumen ipſis pupillis admovi, viſurus an ſe contraherent; acicula varias corporis plagas pupugi, ita ut ſanguis exiliret: verum omnia incaſſum. Interim per totum paroxyſmi tempus quotiescunque ego brachium, crus, manum, digitum, caput, ſitu mutabam, perfecte ſic, ut poſueram manſit, itaque tam longo temporis ſpatio, quo ego ſanus, partes extenſas, eodem in ſitu neutiquam ſervarem. Perfecte curata

eſt iis, quae mucoſam et flaccidam temperiem emendarent.

§. X.

Permulti alii incompletae Catalepſeos referri poſſent caſus, ni taedium lectorum timeſcerem, nam obſervationum de ea vis omnino magna eſt. Miratus ideo ſum legi apud Cl. *Schraff* in Prooem. [s]) Diſſ. cit: „quae de hujus morbi raritate aſſeruntur, magis de Catalepſi incompleta, quam completa vera eſſe, arbitror.„ Quod ei concedendum vix cenſeo. Quippe qui non unum alterumve caſum, perfectae Catalepſeos, exempli inſtar, conſideratum, ad imperfectam referri debere judico, ſed multos, ſed plurimos. Nonne ipſa Galeni [t]) obſervatio ad imperfectam eſt referenda? Condiſcipulum, inquit, nimiis ſtudiis fatigatum (dum hoc morbo corripiebatur) jacuiſſe inſtar ligni, oculis apertis, nunquam conniventibus. Is quoque tempore eodem, quae loquerentur, audiviſſe poſtea dixit, licet non accurate ſatis, clareque; nonnulla quoque memoria tenens retulit, et praeſentes omnes ſe conſpexiſſe, narravit, (ita ut quorundam actiones, earum haud immemor, exponeret,) ſed neque loqui potuiſſe, nec membrum movere. Multo plura adhuc in Ill. de *Sauvages* Pathol. method. l. c. et aliorum obſervatis [u]) occurrunt, vera incompletae Catalepſeos exempla, quae interdum pro completae Catalepſeos exemplis venditant.

§. XI.

s) Prooem. p. 4.

t) Prorrhetic. lib. I. p. 756.

u) *Krüger* Naturlehre, III. Theil p. 291. *Hirſchel* von der Starrſucht, Berlin 1769. p. 7. §. 3.

§. XI.

Alia autem occurrit quaeſtio, illaque longe, ut puto, difficilior: an congrue in *univerſalem* et *particularem* diſpeſci poſſit Catalepſis? De univerſali nemo dubitat. Particularis autem, dimidium corporis latus tantum corripientis, meminit Ill. *v. Swieten* x), obſervatione uſus de la *Mettrie* y), hancque univerſali longe infrequentiorem eſſe ſtatuit. Eandem particularem catalepſin novo exemplo comprobare ſtudet Clar. Chriſtoph *Weber* z). Quod liceat plenius recenſere.,, Sexagenaria, inquit, virgo multos per annos vertigine, clavo ſic dicto hyſterico, viſus vitiis, maxillae inferioris ſpaſmo, linguae paralyſibus ſaepius laborans, ſana ſomno utitur circa noctem, mane vero oculis apertis, ſplendentibus, immotis, ſine loquela, ſenſusque ſignis reperitur in lecto. Ego vocatus, pergit, dextrum brachium abdomini incurvatum, digitosque illius contractos, reliquas hujus lateris extremitates inferiores itidem incurvatas et paululum immobiles, ſiniſtros vero artus quocunque modo naturales et mobiles inveni. Prius latus omni caruit ſenſu. Os fuit clauſum, lingua et deglutio libera, et oculi nunquam in objectum potuerunt infigi. Terror, frictiones, lumen accenſum prae oculis agitatum, puncturae tum dextri tum ſiniſtri lateris, volatilia varii generis naribus admota, ſternuta-

x) Comm. ad Aph. *Boerhavii* §. 1036.
y) Abregé de la theorie chymique p. 278.
z) Obſerv. medic. Faſcic. I. Obſ. 4.

nutatoriaque ad excitationem fuerunt inſufficientia. Venae ſectio in brachio dextro itidem nullam efficit mutationem: Sanguis fuit ſpiſſus et impurus. Praeſcriptum ex aqua Rulandi cum ſcillitico oxymellite emeticum aegrotam per alvum tantummodo purgavit circa veſperam, quo tempore ſinapiſmum plantis pedum et capiti, carpis; ſurisque adplicavi veſicatoria, myrrhaeque extractum, aquam ceraſorum et oxymel ſcilliticum pro interno elegi uſu cum minerali Hofmanni liquore, linguam oleo Cajeput tetigi. Altero vero mane oculis adhuc apertis, inſomnem illam inveni. Dextrum latus etiam nunc incurvatum quidem, attamen multo fuit mobilius, reſpiratio naturalis, pulſusque debilior. Quamquam circa veſperam veſicae ex cantharidum emplaſtro, aqua limpida eſſent repletae, tamen mutationis nihil per clyſma ſtimulans, et excitans produxerunt, ſed in aegrota, profunde nunc anxieque ſpirante, potius tertio mane veſicatoriorum ſuppurationem nullo modo recuperandam inveni. Oculi adhuc aperti, cavi, omnem amiſerant ſplendorem, et nunc per dextrum latus tremores agitationesque convulſivas trium, quatuorve minutarum, a pede ſemper incipientes quater vel quinquies obſervavi omni hora, quas in nocte quoque cum totius corporis vibratione, thoracisque elevatione obſervarant miniſtrae. Remediorum infuſio impoſſibilis. Aegrota ſemper quieta, immota, quadrageſies ad minimum convulſivas iſtas ſuſtinuerat agitationes, qua circa veſperam in profundum ſoporem triginta ſex horas durantem

inci-

incideret. Hoc tempore convulſivi ceſſarunt motus. Artus reperi naturali modo extenſos, pulſum debillimum et extrema interdum frigida, interdum calida; quo facto, quinto morbi die lente quodammodo animam exſpiravit. E naribus ſanguis poſt mortem minimo motu emanavit tenuis, inque affecto latere notata eſt ecchymoſis. Igitur Celeberr. *Weber*, cujus in rem medicam merita magni, ut par eſt, facio, ideo, quantum perſpicio, catalepſin particularem adfuiſſe ſtatuit, quod *ſine loquela ſenſusque ſignis dextrum brachium abdomini incurvatum, digitosque illius contractos, reliquas hujus lateris extremitates inferiores ibidem incurvatas, et paululum immobiles, ſiniſtros vero artus quocunque modo naturales et mobiles*, primo die invenit, *altero* autem *mane dextrum latus etiam nunc incurvatum quidem, attamen multo fuit mobilius.* Videnturque haec omnino, ſi ad eam definitionem referantur, quae immortalis *Boerhaave* de catalepſi ſuppeditavit, nullum dubium relinquere, quin particularis hic catalepſis adfuerit. *Boerhaavio* enim (aphor. 1036.) *catalepſis dicitur morbus, quo laborans, repente immotus, nec ſentiens, illum corporis ſtatum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat.* Licetne autem de veritate hujus definitionis, etſi a ſummo Viro datae, paulliſper dubitare? Poſſunt ſane ea omnia, quae ad Catalepſin ſufficere *Boerhaavius* arbitratur, ut recte perſpexiſſe videatur *van Suieten*, et in paralyticis, et in ſpaſticis affectibus interdum obvenire. Quodque imprimis ad caſum praeſentem Clar. *Weber*, cujus cauſſa

 haec

haec dicuntur, attinet: *contracti manus digiti* videntur mihi ſpaſticam potius, quam catalepticam affectionem deſignare. Cui ſententiae nec reliqua hiſtoriae momenta, nec tranſitus morbi in apoplexiam repugnant. Utinam Clar. *Webero* placuiſſet, in alium ſitum partes affectas contra propriam gravitatem perducere, et, num perſiſterent in eo, attendere!

§. XII.

De eo catalepſis *particularis* exemplo, quod de la *Mettrie* enarrat [a]), vix habeo quod dicam. Perill. b. m. *v. Swieten* illud recenſens ſic loquitur: *rarius* (in catalepſi) *aliquis ſenſus ſupereſt; tamen in virgine cataleptica obſervatum fuit, quod ſentiret ſpirituoſa naribus ſuppoſita, et manu celerrime naribus admota illas comprimeret. Immo in eadem hac virgine obſervatum fuit quod quandoque dimidium corporis latus tantum corriperetur catalepſi, quod adhuc longe infrequentius eſt* [b]). Sed alia adhuc praeter iſtas, oretenus mecum communicata, innotuit mihi obſervatio, de catalepſi particulari, ex carie ſpinae dorſalis et concreſcentia ejus, in inferioribus extremitatibus ſuborta. Cui autem, cum de praeſentia cereae iſtius flexilitatis dubium eſſet narranti, diviſionem ſuperſtruere, vix audeo. Caeterum catalepſis particularis mentionem jam antiquiores medici injiciunt, ut *Sylvius* [c]). Sed omnes, quos legi, ad *Plateri* obſervationem provocant, quae ad ſpaſti-

a) Nam ejus libellum ſupra cit. ad uſus meos impetrare non potui.

b) Comment. ad Aphor. Boerhaavii §. 1036.

c) Prax. medic. l. c.

ſpaſticarum potius, quam catalepticarum affectionum hiſtorias referri debet. Ipſeque *Platerus* Catalepſin pro vicino epilepſiae affectu habere haud dubitat. Ut igitur de ea catalepſeos ſpecie, quae particularis dici mereatur, nondum ſatis convictus ſim. Neque vero, quod obvenire queat, omnino nego. Ut enim tetani, convulſiones et paralyſes particulares occurrunt: ſic quoque fieri poſſe puto, ut catalepſis particularis naſcatur.

§. XIII.

Praeprimis autem cum quae ab origine ſumuntur, omnium differentiarum morbi accidentalium primae fere ſint, Catalepſin in *primarium* et *ſecundarium* morbum (πϱοτοπαθειαν, et δευτεϱοπαθειαν) diſtinguere poteris. Eſt nempe, ubi Catalepſis, ex ſua cauſa nata, aut perdurans [d]), aut deſinens, alius generis aut ſpeciei morbum producit, aut eodem modo ab alio producitur [e]). Laudatus jam ſupra *Praenob. Schraff* [f]) narrat: juvenem viginti quinque annorum, diaetae vinoſae parum adſuetum, vinum bibiſſe, gelu concentratum, nec praemonitum haud vulgare eſſe

d) *Celeber. Caſimir* Medicus in libro ſuo: Samlung von Beobachtung der Arzneywiſſenſchaft, II. Band p. 372. exemplum memoriae tradit, Catalepſeos febrem intermittentem, praeeuntis. Qualem epidemiam obſervavit *Hirſchel* l. c. p. 27. §. 17.

e) Permulti quidem cum perill. *Gaubio* (Pathol. §. 846.) morbum ſecundarium ſic definiunt ut alius *generis* ſit morbus; ſed uſitatum jam eſt, nomen illud et iis dare morbis, qui ſub iisdem conditionibus alius modo *ſpeciei* ſint morbi. Phrenitis ex aliarum partium inflammatione oriunda, ejusdem fere ſpeciei eſt morbus, attamen morbus vocatur *ſecundarius.*

f) l. c. §. VIII.

eſſe, ejus ſeſqui libras intra bihorii ſpatium hauſiſſe. Quo facto catalepſi perfecta duodecim horas durante, poſt hanc *febri ſynocha*, octiduum durante, correptus et uſu temperantium curatus ſit. Saepius quam primarium Catalepſin, obſervaverunt eſſe morbum ſecundarium; praeprimis vitia haemorrhagiarum naturalium, melancholiam, malum hypochondriacum et hyſtericum &c. eam praeiviſſe, docuit experientia [g]). Memoratu autem dignius adhuc mihi viſum eſt Catalepſeos, quod Dodonaeus narrat, exemplum, in ipſo febris intermittentis paroxyſmo obſervatum [h]). Id quod autem *ſymptomaticae* magis Catalepſeos nomine inſignirem. Paroxyſmo enim febris finito et Catalepſis erat finita. Symptomatici autem morbi, ut loquar cum *Gaubio* [i]), more ſymptomatum haud ultra vitium, unde pendent, perdurant, eoque differunt a morbis ſecundariis. Eſt quoque catalepſis quae *idiopathica*, alia, quae *ſympathica* dici debet [k]), pro eo nempe, ut cauſſa catalepſeos remotior aut cerebro inhaeret aut in alia a cerebro remota continetur. Verum de his plura dicenda erunt, ubi nactus ero occaſione.

§. XIV.

Liceat Catalepſin quoque in *puram* et *mixtam* dividere. Puram dico, quae nullum alium mor-

g) *Boerhaave* Aphor. de cogn. &c. §. 1040. Id quod in calce libri, uberius oſtendam, de cauſis Catalepſeos diſputaturus.

h) Medic. Obſerv. ejus Cap. IV. Similis eſt obſervatio ea quam Jonſton refert Lib. II. Cap. XXVIII. p. 803.

i) Pathol. Medic. Elem. §. 863. p. 478.

k) *Idem* l. m. c.

bum magis compoſitum adjunctum habet, impuram autem, in qua contrarium obtinet. Haec illa omnino frequentior occurrit. Purae nonnulla exempla in antecedentibus excitavimus. In ſequenti exemplo, quod *Sylv. Sam. Hartviſſ* ſub titulo: de Catalepſi cum horrendis motibus convulſivis refert *l*), cum hyſtericis pathematibus conjuncta fuit. Virgo XXIV. annorum, temperamenti ſanguineo bilioſi, ex albo roſei et vividi faciei coloris, animi ad quoscunque adfectus promptioris, et vel Herculea progenies, corporis viribus ſupra ſortem valens; febre quartana ſeptem menſibus loborabat, diu inaniter tractata, lectica a Pariſiis in Helvetiam deportata, poſt aëris mutationem convaluit. Palato variis tunc δυσπεπτις indulſis, rediit febris ſub vario modo, tertianae ſimplicis aut duplicis, modo quartanae forma. Curata tandem, valuit ad tempus commode, quam diu non excederet limites diaetae. Delectata hinc pomis Citri et aliis deterioris ſucci eduliis, paſſionem hyſtericam, cardialgiam cum plurium ſyndrome actionum et vitalium et animalium laeſione incurrit. Mitigata Antihyſtericis dolorifica ſtrictura, ſucceſſit ſtomachi expanſiva inflatio, qua turgidum pectus plurimum, praecipue ſumto cibo cernebatur. Thermis Fabarienſibus potatis abhinc athletice valuit, dum nonniſi perverſo diaetae et affectuum regimine leviculos mali prodromos concitatos ſentiret. Poſt

l) Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. Ann. III. Obſ. LXXXVIII. Cujus hiſtoriae nimis diffuſae, therapeuticam partem reſcindere libuit.

Poſt annum et quod excurrit diaetae erroribus animique affectubus admiſſis, eaedem fere affectiones reverſae ſunt. Sequenti autem iisdem fere cauſis admiſſis, omnimoda ſenſuum et motuum ceſſatione, praecordiorum dolore oppreſſivo correpta. Non multo poſt dum negotia magni momenti, magno animi fervore ſuſcepta, ex voto non ſuccederent, ſibique illuſum exiſtimaret, ad iram commota ita excanduit ut vel ringens obrigeſceret. Nervoſum equidem ſyſtema, quam maxime irritabile, quovis ſumto cibo vel inſtituto corporis motu, ad hanc ἀμετρίαν praenuncia oſcitatione et aura calida e praecordiis in caput elata concitatum, cum omnium ſenſuum ereptione ſtatuae ad inſtar, immobile obriguit. Paroxyſmi raro ultra horae quadrantem protracti, Spir. Sal. Ammon. externe admoto depulſi ſunt. Collectis ſenſibus, ſine virium jactura alacris, loquendo, ridendo, ludendo otium oblectata, libere ſe de latere in latus contulit, vel erecto corpore ſedebat; verum ſi vel e lecto ſurrectura pedibus inſiſteret, immo vel cubans ſtragulis caetero corpore munitiſſima, pedes nudos extra lectum poneret, oſcitationibus praerepta, hac qua fuit poſitura, toto corpore ad inſtar ſtatuae obriguit, nullo ſenſuum et motuum indicio ſuperſtite, reſpiratione et pulſu integris, oculis clauſis et faciei colore non mutato. Hoc dum plurium dierum conſuetudine obtingeret, ipſus adſtiti prandenti, periodi cauſam obſervaturus, et en! juſculo vel uno hauſtu deglutito, reliqua quae fuerunt adpoſita, inuſitata celeritate aſſumſit et

panis

panis vix dimidium maſticati copiam conſumſit, unde buccella in faucibus adhuc haerente, poſt brevem oſcitationem et praecordiorum calentium ſenſum, oculis ut ſomno capto concidentibus, obſtupuit, admoto nari ſpiritu volatili et compreſſis manu labiis, ne ſpiritus ore traheretur, ſenſuum per momentum compos facta, foetorem averſata, caput ad latus removit, ſed vel facto citius in priſtinum delapſa eſt. Paululum reſtituta, iterumque ex obitu inopinato amicae, qua non habuit magis familiarem, acerbo moerore tacta, cum ſymptomatum convulſivorum horrendo agmine deterior recruduit morbus, qui dum vel corpus erigeret, vel cibum ſive ſolidum ſeu liquidum deglutiret, protinus cum ſpaſmo gulae, ſubſequam habuit totius corporis obrigeſcentiam. Projecta ſic ſenſus motusque expers, horae circiter octantem, ſubito exſiliit, manus mira agilitate attrahendo et extendendo agitavit. Tandem integra corporis machina tremendum et non calamo exprimendum in modum, ſpaſmi violentia in altum elatum, et non raro in pedes erecta, mox non minore vehementia projiciebatur. Quibus tunc ſpaſmodicis affectubus atypice redeuntibus maxima, ut ſolet, ſpiritum trahendi difficultas, inſequuta eſt.„ — Quod ſpaſmi, ut interdum praecedunt Catalepſin, ſicuti ſupra jam dictum eſt; ſic eandem excipiant, optime caſus, a Ioh. *Valisnero* m) obſervatus, edocet. Quippe qui tradit: puerum decem annorum, media hyeme, correptum eſſe repente totius corporis immobilitate,

 cum

m) Ephemerid. Nat. Cur. Dec. V. p. 195.

cum oculis apertis, extenſis manibus, cognitionis omniumque ſenſuum abolitione, eo modo remanentem quo reperiebatur. Cui ſi brachium elevabatur, illud elevatum ſervabat. Per horam unam, modo plus, modo minus ita morabatur, hinc reſtituta cognitione, ſenſibusque omnibus bene valentibus mirifice diſtorquebatur, agitabatur, et ſi in lecto decumbebat, irrequiete ſaltitabat.„ — Cum ecſtaſi conjunctae Catalepſeos exempla plurima ſunt *n*). Quae ejus cum illa conjunctio, non parum, ut a multis ſymptomata utriusque morbi confunderentur, attuliſſe puto; differre autem utriusque morbi ſymptomata, uberius paulo in antecedentibus, ubi de eſſentialibus Catalepſeos differentiis diximus, expoſitum eſt. Nec ecſtaſis perfectae Catalepſeos ſymptoma unquam haberi poteſt, licent ſint qui hoc affirment. Nolo plures conjunctiones cumulare, cum intellectu facile ſit, infinitas cogitari poſſe. *Hollerius* *o*), comata, epilepſiam, Catalepſin, convulſiones, alternis vicibus ſeſe excipientes vidit. *Rhodius* *p*) Catalepſin cum furore et ſuffocatione conjunctam obſervavit. Alia autem exempla in antecedentibus enarrantur. Quemadmodum autem plures interdum Catalepſi accedunt morbi, ſic etiam inconſueta prorſus ſymptomata ei acceſſiſſe novimus. Poſſet idcirco, cum inſuetum et ſimul

n) Fr. Hoffmann Rat. Syſt. Med. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. p. 27 ſequ. duo tradit exempla. Plura de Sauvages l. c.

o) Comment. II. ad Aphor. VIII. lib. II. Coac. Hipp. p. 66.

p) Obſerv. Cent. I. Obſ. 37. Plura vid. in de *Sauvages* Path. l. c.

ſimul periculoſum ſymptoma ei ſe comitem adjungat, in *malignam* et *benignam* dividi. ſed infelicem q) hancce diviſionem, in tanto praeprimis opinionum de malignitate diſſenſu r), ſicco pede tranſire placet. Quemadmodum et alias dividendi rationes, ne ſubtilitatem magis quam uſum ſequi videar, ſilentio praeterire non dubito. Uberius enim de iſtis, quae vero, certoque adplicationis uſu gaudent, loquendum eſſe, certus perſuadeor.

§. XV.

Non ſolum Dolaeus exquiſitam Catalepſin *ſemper* eſſe lethalem morbum; non ſolum, (ut ſupra jam quodammodo indicavimus,) Boerhaavius incurabilem *fere eſſe* morbum pronunciavit; ſed alii plures. Praecipue *Dodonaeus* l. c., et cum eo *Heurnius* dicit, neminem *ſecundo*, ſine pernicie certa, hoc morbo corripi poſſe. Licet autem largiri iis non dubitem, Catalepſin forte quondam inprimis raro eſſe curatam, minime tamen eam incurabilem eſſe, concedere poſſum. Iam enim ipſam, propter raritatem ejus et

q) Recte enim *Sydenhanus*: bello, inquit, plures haec verba (morbus malignus et benignus) homines trucidaſſe.

r) Nec olim de hac re conſenſuros eſſe puto. Nam media veritatem definitionis palam facientia ſunt a) *ubi eam cum uſu loquendi conſentaneam oſtendas*. Sed nec antiquiores quidem conſentientes invenies, (vid. *Boehmeri* Diſſ. de not. morb. maligni) nec recentiores conſentire vides. b) *Ubi verbum ipſum ex analogia explices*. Id quod de hoc non facile poſſibile eſt. Quippe quod verbum, mox inſidioſum, refractarium &c. denotare legimus morbum.

et elegantiam, miram, felicemque curam completae Catalepſeos, jam ſecunda vice redeuntis, in circum voco ex libr. Obſ. ab Heer. „Ad fratrem Capucinum (ait obſ. 3.) catalepticum factum, vocatus, invenio illum aphonum, uno genu terrae innitebatur, alterum conflexurus curvabat, brachiorum ſiniſtrum pendebat ad genu, dextrum in aërem elevatum, diductis digitis, viam praetereuntibus, ut olim Mercurii ſtatuae, oſtentare videbatur, utrumque omni gelatu morbo frigidius. Patebant oculi, ſed irretorti et quidquid ſudario illis perſtringerem, inconnivi. Os hiabat, cum reſpiratione ſatis libera, pulſus in utroque brachio ſat magni. Volui injici clysterem, ſed negabat Apothecarius, ſe ulla ratione, ob ſtrictas nimium nates, injicere poſſe. Glandem ergo praeſcripſi ex ſpeciebus hierae colocynti, ſale gemmeo et muſcerda, juſſique excipi *felle*, loco mellis: aegre immiſit, ſed cum bonis aegri rebus; valide enim ſoluto alvo degelatus membra movit, ſurrexit, ambulavit, omnium praeteritorum ignariſſimus; tum fricatis naribus, (ptarmicum enim potentiſſimum inſufflaveram ante horas aliquot, ſed ſine effectu) iisque motu calefactis, ſaepe ſternuit, multamque pituito vitreae, aut glaciei ut verius loquar, excuſſit. Cum ſub XX horam ad ſe rediiſſet, laconicum conſtruendum curavi; credebam enim, algidiſſimum hoc corpus non niſi in aere perpetuo aequaliter calido, ſervari et curari poſſe, cum illud ingreſſus eſſet, flatibus in cerebrum delatis diſcu-

diſcutiendis, incumbendum duxi, unaque novorum generationem, impediendam ſtatui. Injecto ergo ſub veſperam, validiſſimo clyſtere poſtridie eccopotico, commode purgato, cerebelli regionem radi juſſi, totamque cum tota ſpina Decoct. Lavend. lauri &c. ex malvatico incoctarum, inungebam primum caſtoreo, aurea alex. melle anacardino, ther. oleo, petroleo et ſuccini ſolutis. Huic inguini ſuperponebam Empl. Parac. iisdem oleis recens ſubactum, dabam cibos convenientes, bibebat hydromel dilutiſſimum, cui ſaſſafr. foeniculi et aniſ. incoxerat, miſcebatque vinum fulvum. Indies ſumebat, conditum ex conſ. acor. ſtaech. nucis moſch. chin. theriaca &c. Sicque toto biennio liberrimus fuit a congelatione. Saepe tamen poſtea hic catochomenus factus fuit, ſed tandem ita convaluit ut XII. annis mali nihil ſenſerit; quoties enim, rigente parum collo, malum ſecuturum praeſagit, ſtatim oleo calido nucham, totamque ſpinam inungi curat et ita avertit.„ — Nec minus felici Hygea triduanam Catalepſin, virginem triginta annorum occupantem, et quidem febri continuae ſupervenientem, licet plus una vice regreſſam, curatam deprehendimus in Obſerv. Carol. Wilh. Sachſii [s]), uti et Richard Reynell [t]), de Cataleptica viginti annorum puella, (cujus ſupra adduximus hiſtoriam) plus una vice morbo hoc correpta, eam

s) Nova Acta Phyſic. Medic. Tom. I. Obſ. XCIX.

t) The philoſophical Tranſactions N. 437. p. 49. April. 1735.

eam ſanatam eſſe refert. Ut jam alios multos catalepticos ſatis feliciter curatos mittam [u]). Quid enim opus eſt pluribus, cum catalepſis, quod ad curationem pertinet, ab epilepſia non multum diſtet, atque ideo non magis, quam haec ipſa, in univerſum pro incurabili habenda ſit?

§. XVI.

Iam Catalepſin interdum morbi intermittentis genium ſequi ex ipſis allatis abunde patet. Anne vero continui, (ſive remittentis ſive non remittentis) quoque morbi, interdum naturam habet? Sic mihi omnino videtur. Sunt enim Cataleptici, quamvis pauci, quos haud plus vice ſimplici corripuit. Nonne ipſa *Hippocratis* obſervatio [x]), hic quadrat? Eumenes Lariſſeus, inquit, rigida habuit crura, et manus et maxillas, et non poterat eas extendere, neque flectere, ſi non alius flecteret. Aliud vero nihil neque dolebat, neque edebat, niſi mazam et aquam mulſam bibebat. Vigeſima die ſedit, et cadit ſupinus, et caput ad lapidem vehementer offendit et vertigo ipſi caliginoſa *effuſa* eſt, et paulo poſt ſurgens ſanus erat.

§. XVII.

Alia adhuc occurrit accidentalis Catalepſeos differentia, perquam notabilis, ratione *Curſus.* Mox

u) *de Haen* Rat. Med. Part. IV. p. 203. L. E. *Hirſchel* Von der Starrſucht, §. XII. p. 21.

x) Libr. V. de morb. popul. Id quod Donatus jam et (plures) ad Catalepticum affectum eſſe referendum, non ſine ratione cenſet. l. c. Cap. VII. p. 186.

Mox enim *brevem* aut *acutam*, mox *chronicam aut tardam* invenies Catalepſin. Brevis autem duplici modo nuncupanda, aut enim ad ſolum paroxyſmum, aut ad totius morbi recurrentis typum reſpicias. Hujus exempla multa, autores referunt. *Tulpius* [y]) de juvene britannico narrat, eum ex inopinata matrimonii repulſa illico Catalepſi correptum eſſe per integrum diem; ubi vero alta voce exclamaſſent, cupitam habiturum amicam, modo ad ſe reverteretur, proſiliiſſe confeſtim, vinculis morbi protinus diſruptis. Cum autem periculum interdum ſuperveniat brevitati, recte acutam nonnunquam puto eſſe Catalepſin. *Sic Petr. Zachias* [z]) hiſtoriam retulit, in qua haec leguntur: octo meſſores, ſub ea ſpecie, qua diſcubuerunt, permanſerunt, ita ut unus comedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere videretur. Omnes fato eo abrepti ſunt. *Lonicerus* de cataleptico qui prima invaſione ſtando mortuus eſt nos certiores reddit [a]). Alias e contrario ſaepius ſine periculo redire Catalepſin, nec magno virium detrimento aut nullo, diu retinere novimus. Quo pertinet obſervatum *Ioh. Fehr* [b]), qui ruſticam vidit puellam, circiter quindecim annorum, jam a quinquennio Catalepſi laborantem, negotia alias rite per-

y) Obſerv. Med. libr. I. Cap. XXII.

z) Quaeſt. Med. legal. p. 395.

a) In Explicat. morb. Capit. de Congel. p. 5.

b) Act. Nat. Cur. Dec. II. An. I. Obſ. I. *Lambecius* Comm. Bibliot. Caeſar. Tom. II. p. 688. per duos annos durantem Cat. vidit.

peragentem. Ipſe Sylvius, (quod notatu adhuc dignius) *Senem* c) vidit, per quadriennium (ut opinatur) Catalepſi tentatum, nec tamen inde valde debilitatum. Praeterea in typicam et atypicam dividi poſſe Catalepſin, inficias ire vix audeat legens: *Lambecium* d), imperatorem Leopoldum in itinere Oeniponitano, comitantem, vidiſſe in pago quodam Ferolienſi, puellam viginti quinque annorum, quae jam diebus Veneris et Saturni continuo, reliquis autem diebus alternatim et per intervalla, omnis ſenſus expers, ſtatuae inſtar jaceret &c. Quem typum, *Galenus compoſitum diſſimilem* e), ni fallor, vocaſſet. *Sylv. Sam. Hartviſſ* f) Catalepſin poſt prandium in vorace maxime redire obſervavit. Plurimum autem atypice recurrentem invenies. Quemadmodum ex Obſervatorum allatis hiſtoriis (C. I. §. VIII. XI.) ſatis

c) Prax. med. l. ſ. c. §. 52. pag. 458.

d) v. *Swieten* Comment. ad Aphor. Boerh. §. 1036. p. 312.

e) Praeter noſtram, (in typum late et ſtricte ſic dictum), diviſionem, *Galenum* multas adhuc accepiſſe ejus diviſiones, pernotum eſt. Quippe qui praecipue eum diſpeſcit, 1) in *primum* et *ſecundum* typum. Primum typum nominabat eum, cujus Paroxyſmum brevem, tempus longum ſequebatur intercalare. e. g. in Febre tertiana. Oppoſitum ejus, ſecundarium nominabat, (ut in quartana). 2) in *conſiſtentem* et *mobilem*, ratione parilitatis temporum. 3) In *ſimplicem* et *compoſitum*. Compoſitus autem ei erat quem neoterici nominant duplicatum, triplicatum typum &c. 4) In *ſimilem* et *diſſimilem*, ubi paroxyſmi nullo modo ſibi reſpondent. Sic tertianae duplicatae, puto, compoſitum ſed ſimilem typum; ex tertiana et quartana, compoſitum diſſimilem vocitabat.

f) Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An. III. Obſ. 88. pag. 138 ſeq.

ſatis apparet. Praeprimis autem, et plurimum Catalepſin, morbi periodici irregularis genium ſequi, pro inquiſito et comperto habendum eſt [g]). Morbus enim ipſe ſtato tempore recurrere ſolet, plus, minus definito [h]).

g) *Hirſchel* Von der Starrſucht, Berlin 1769. §. I.

h) Quo autem ſenſu *periodici morbi* vocem acceptam velim, ut cognoſcas neceſſe eſt. Plurimos enim Pathologos cum intermittente eum confundere, neminem praeterit. Ipſe Cel. *Medicus* in tractatu de morbis periodicis, incongrue illum, *qui ſine febre recurrit*, *periodicum* appellat *morbum*. Multi enim ſunt morbi intermittentes, qui febres non ſunt. Nec febres ſemper morbi periodici indole carent. Morbus autem periodicus et intermittens ſic differunt: periodicus tempore intercalari vera plenariaque ceſſatione recurrit, intermittens autem in ſpeciem tantum ceſſat; praeterea in intermittente paroxyſmi tantum periodice recurrunt, in periodico autem morbus ipſe. Quam diſtinctionem ut rite cognitam habeas, et cauſae utriusque morbi et ſigna curaque requirunt.

CAPUT TERTIUM.
DE CAUSIS CATALEPSEOS.

§. I.

Quod ab omnibus Philoſophis (ſi paucos excipias) receptum eſt, rationem exiſtentiae ſuam rem quamlibet habere ſufficientem, et de corporis hum. mutationibus valet. An autem ea cauſa, quae *proxima* dicitur, quamque perperam neoterici quidam relegatam velint ex omni Pathologiae ſyſtemate [a]), ſemper cognita ſit, uti de plu-

a) Comment. theoret. pract. de tetano ejusque ſpeciebus, autore *Joh. Chriſt. Starke*, Jenae 1781. Sect. II. Cap. VII. pag. 88. §. 2. Proximam, inquit, hucusque receptam, quod attinet, cauſſam lubentius, niſi jamjam tam inveteratus mos ac conſuetudo eſſet, *relegare* et *exulare* optarem. Eſt quidem, non ignoro, lex paene jam dudum lata ac rogata, inque omnibus compendiis ac morborum diſquiſitionibus cujuscunque generis reperitur. At parvum, confiteor, detrimentum inde acciperemus. Etenim quid quaeſo multum nobis ſublevat, facilitat, et ſplendidiorem facem in morbis ſanandis ac celerius depellendis accendit illa *cauſa famoſa?* „— Id quod exemplis probare conatur ſequentibus. Fac, inquit, hydropis proxima cauſa in atonia ſ. laxitate ponatur; at cum cauſa occaſionalis v. c. menſium a frigore ſuppreſſio eam enata eſſet, num ceſſabit absque menſtruorum revocatione? Fac porro, pergit idem, ut epilepſiae proxima cauſa, uti recepta eſt, diatheſi cuidam in nervoſo ſyſtemate tribuatur. An iſtam bellam diatheſin ſanabis, niſi cauſam occaſion. v. g. vermes auferendas atque enecandas, cognitas ac compertas habeas? Quamvis autem non is ego ſim, qui cum *Gaubio* (Inſtit. Pathol. Medic. §. 61.) ſolam proxi-

pluribus, ſic de cauſa Catalepſeos, vix credo. Licet enim cuilibet artis noſtrae ſtudioſo incumbat, omne ſtudium, operam et laborem impendere, ut hanc ſibi doctrinam in quocunque morbo diligentiſſime et omni aſſiduitate pertractandam ſumat; in multis tamen nervorum adfectibus morboſis, tam anxie cauſam proximam inveſtigando, Aethiopem lavabis. Id quod eo magis veritati conſentaneum, quo minus mutationum naturalium nervorum cauſas, modumque earum agendi compertum habemus.

§. II.

Antiquioris aevi autores cauſam Catalepſeos proximam, quam optime cognitam habuiſſe, fere

 cre-

proximam nomine cauſae dignam habeam, attamen doctiſſimo alias *Autori* huic non poſſum non varia opponere. *Primo* nempe, absque urgente neceſſitate ab uſu loquendi ne recedas, perennis Pathologorum lex eſt. *Secundo* licet nonnullorum morborum non ſatis cognita ſit proxima cauſa, in aliis cognita etiam parum ad ſanandos depellendosque morbos adferat uſus, in *multis* tamen multum rationali curae ſuccurrere, contra eum autumo. Nonne febrium intermittentium cauſam proximam, in irritatione definita nervorum latere concedat neceſſe eſt? Nonne concedat, a terrore &c: ſine materiali cauſa ortam febrem per Opiata, Chinata, immediate cauſam proximam impugnantia, rite eſſe curatam? Ut Sileſiorum medicorum decus, *Tralles* egregie cum aliis obſervavit. 3) Exempla ejus data parum ſufficiunt, quia non veras cauſas proximas propoſuit. Nam in hydrope *ſecretio ſeri nimia* eſt *proxima* cauſa, non atonia ut refert. Atonia una tantum e praediſponentibus hujusce morbi cauſſis eſt, et ſuppreſſio menſium una ex occaſionalibus. 4) Medicum non ſolum cauſſas morborum noſſe oportet, ſed intelligere etiam, quo eas modo morbos producant; quod ſane abſque cauſſae proximae indagatione erui nequit.

crederes ipſis. Nihil enim eſt, quod exploratum magis judicent. Quorum principes in circum vocaſſe ſufficiat. Fr. Deleboe *Sylvius* [b]) aſſerit, teſte experientia Chemica, qua ſpiritus urinae volatilis, confuſus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, in coagulum ſpiſſius concreſcat, in Catalepſi ſpiritus animales, qui ad indolem ſpiritus vini rectificatiſſimi accedant!! a ſpiritu volatili urinoſo, praeternaturaliter in corpore nato, congelari, ut immobiles maneant. Subridere paululum, non refutare [c]) noſtrarum partium eſſe puto, quippe qui, quanta ſit ſpirituum animalium cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſimilitudo, ſat intelligimus. Miror autem Fridericum *Hoffmannum* [d]), tam magna, et vereor nimia aſſiduitate Catalepſeos inquiſiviſſe cauſam proximam. Non ſolum enim, in denegato liquidi tenuiſſimi in nervos, ad voluntarios motus ſenſusque deſtinatos, influxu, eam ſitam eſſe putat; ſed etiam quomodo inde Catalepſis fiat, ſat anxie inquirit. Dicit enim [e]): Quemadmodum dicto illo fluidi tenuiſſimi influxu, recte et proportionata quantitate ſe habente, omnes ſenſationes et motus vigent, debitoque peraguntur ordine, nosque tum ſani vigilamus; ita ſi parcior fuit ille influxus, dormire dicimur, eoque plane interrupto, omni ſenſu ac motu deſtituimur. — Ergo in Catalepſi fibrillarum nervearum, in ſua origine, antequam piam matrem pene-

b) Prax. med. lib. II. pag. 457.

c) Quodſi autem refutationem magis, quam riſum habere velis, vide Hoffmann. Rat. Syſt. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. pag. 115.

d) Idem Cap. IV. pag. 116.

e) l. c. Cap. IV. pag. 117.

penetrant, ſpaſmodica conſtrictio et cauſam denegati ſpirituum in nervos influxus et hinc reliquorum omnium ſymptomatum ampliſſimum praebet fundamentum [f]). Non movebo jam tritas, ad nauſeam usque recoctas, contra fluidi nervei praeſentiam, dubitationes, quarum nonnullae parum graves [g]), nonnullae ſatis acutae [h]) ſunt. Sed hujus fluidi influxum non impeditum eſſe ex ipſa apparet Catalepſeos natura. In phyſiologicis enim abunde demonſtratur [i]), ubi de muſculorum actione agitur, quod ſi flectantur artus hominis per vim externam, renitente licet ejus voluntate, agentem, muſculi flexores tumeant, dureſcant, protuberent, quod ab influxu fluidi nervei in muſcularem fabricam, fieri ibidem evincitur. Iam autem in Catalepticis vides, dum v. g. elevamus brachium, id non delabi, ſed tumere et dureſcere elevatores; manifeſte enim Deltoidem turgere ſentimus, et ſi relinquamus brachium non delabitur. Id quod, ſi fluidum nerveum non influeret, eſſet impoſſibile [k]). Quin nonne ipſa obſervatio; qua convincimur tenſos, ingruente paroxyſmo, muſculos, per totum paroxy-

f) Quam ejus ſententiam ex ea ratione narravimus ac refutare conati ſumus, quoniam permulti in ea ſtant ſententia, quod fluidi nervei influxus denegatus, cauſam Catalepſeos ſiſtat proximam.

g) Diſſert. Inaug. de fluid. Nerv. Praeſ. Nietzky.

h) Quorſum refero recentiorum experimentum, quo docemur, nervo ita diſciſſo, ut paululum adhuc cohaereat, tamen ſenſum non perire partis, quam adit ille nervus. Iam vero, ſi fluidum etiam tenuiſſimum eſſet nerveum, per canalem means, effluere tum neceſſe eſſet, et ſenſum perire.

i) *Boerhave* Inſtit. Medic. §. 401. p. 13.

k) van Swieten Comm. ad Aphor. Boerh. §. 1038 ſequ.

roxyſmum manere tenſos, et poſt eum alacritate ſolita agere, nonne, inquam, haec obſervatio docet, in impedito fluidi nervei influxu, non poſſe quaeri cauſam proximam Catalepſeos? Quae cum ita ſint, ſtare etiam non poteſt ſententia Cel. *Schraff* l), qui de cauſa proxima haec putat. Si principium, inquit, nervorum motibus voluntariis inſervientium, a vaſis ſanguine turgidis vel ſero abundante premitur, catalepſis imperfecta oritur; quando vero cauſa major eſt, et ſimul ſenſorium commune eadem ratione afficit, tunc Catalepſis perfecta in ſcenam producitur. Accedit ad ejus improbabilitatem, quod haec cauſſa variorum adhuc aliorum adfectuum, ut apoplexiae &c. ſit cauſa proxima recepta; et cauſa proxima, nunquam (ut remotae) varios effectus, ſed unum, eundemque certum edere debeat effectum. Magis adhuc ludibrio habenda opinio Franco-Galli cujusdam, clariſſ. nempe *Peſſault* de la *Tour* m). Quippe qui de hocce morbo ita diſſerit: Cauſa proxima conſiſtit in ſanguine abundante, caput petente, inque fluido nerveo copioſe hinc ſecreto. Cum autem nervi tunc plethora quaſi laborent, eorum inde actionem imminui, immo ob lentorem tunc oriundum ad tempus prorſus extingui arbitratur. At vero acutis Gallorum ingeniis, iſtam relinquimus cauſam proximam ſibi concipiendam. Nos enim Germani, ingenue fateor, tam rudes ſumus, ut perſpicere nequea-

l) In ſaepe cit. Diſſ. §. XXI. pag. 22.

m) Recueil Periodique d' Obſervations de Medic. Chirurg. et Pharmac. &c. par Mſr. *Vandermonde* Tom. V, pag. 41.

queamus 1) fluidum nerveum (ſi exiſtat) plethora, aut lentore a laudato Autore deſcripto laborare poſſe, cum electricum fluiditate ſuperare non incongrue cogitemus; 2) tam incredulos nos ingenue accuſamus, ut nobis perſuaderi nequeat, plethoram iſtam cauſam proximam eſſe catalepſeos, cum nullum interdum plethorae nec univerſalis nec particularis ſignum, in catalepticis obſervari, multae multorum doceant hiſtoriae. Verum enim vero cauſam proximam ejusdem morbi in omnibus ac ſingulis individuis adeſſe, lex eſt perennis, ſaltem in germanica pathologia. Interroganti idcirco de cauſa catalepſeos, cum *Gaubio* [n]) immortali reſponderem: memoria vacillans, confuſa, extincta; puerilitas, fatuitas; mentis diſtractio; ἀναισθησια, ſenſuum carentia; ἀπαθεια, in qua ob vitium organorum quaecunque animi affectiones delentur, et, quae id genus aliae ſunt noxae, ſuo quaevis modo laeſam ponunt officinam ſenſoriam, proprietate tamen laeſionis vix determinanda ultra, quam occaſiones aegrotandi, morbique praegreſſi comites, aut pediſſequi, docere poſſint. Quod etiam nunc viri immortalis monitum ſequuturi, diligentius in cauſas remotas inquiramus, non iſtas puta, in pathologorum cerebris fundatas, ſed obſervatione multa fide dignorum comprobatas.

§. III.

In quibus, quomodo agant, exponendis, parcior ero. Et conſulto quidem. Nam unam obſervationem centum praeſtare hypotheſibus cer-

n) Inſtitut. Pathol. medic. §. 740.

certiſſime perſuaſus ſum. Factis idcirco nudis, veris, aeternum duraturis, iſtas comprobare animus eſt. Incrementum enim non parum in omni rei medicae parte enaturum puto, ſi plures quamvis cauſſas quomodo agant ignoremus, quid per eas fiat intelligamus. In viam jam redeo et de animi affectibus, quod Catalepſi excitandae pares ſint, oſtendam. Pulchrum quidem Senecae illius eſt effatum: quod *ſibi imperare, maximum ſit imperium* [o]), ſed tanta hujus imperii haud quaquam eſt poteſtas, ut cauſas illud ſollicitantes prorſus avertere, aut impetuoſiores affectuum attentationes, aequa ſtatim mente perferre liceat [p]). Praecipue cum futurarum rerum raro praeſcia ſit humana mens, fieri non poteſt, quin variis inopinorum caſuum afficiatur viciſſitudinibus, ipſius ſtatum non ſine corporis damno mutaturis. Quod, quemadmodum in omnibus pathematibus, ſic praeſertim in juvenili amore conſpicitur. Nam eo capti quid loquantur neſciunt, quid fecerint obliviſcuntur, nimium agendo nihil agunt, et ſi adeſt amatum objectum, unicum fere, ſuppreſſis omnibus aliis, viſus ſenſum retinent. Et hanc igitur animi affectionem, ubi ad abſolute majorem gradum aſcendit, aut a ſubjecto praediſpoſito admittitur, Catalepſin denique progignere poſſe, perceptu non eſt difficile. Quid vero dico perceptu? Experientia docet. Inſignis enim Tulpii obſervationes lecturo, hiſtoria

o) Epiſtol. CXIII.

p) Diſſ. De inevitabilibus morborum cauſis, Praeſid. Plaz. Lipſ. 1778. §. VII. pag. 22.

ſtoria illa non effugiet, de juvene britanno, amoris cauſa Catalepſi correpto q). Iam ipſa allata hiſtoria Catalepſeos complicatae (C. II. §. XIV.) autorem, cauſae inſtar concurrentis accuſare legimus amorem. Quippe qui, (l. c. p. 136.) proſequebatur, inquit, illa a multo tempore mutuo tenerrimo amore, juvenem et generis et proſapiae haud inferiorem, cujus ſibi conjugali vinculo ſociandi ſpe defraudaretur &c.

§. IV.

Plura adhuc iracundiam, tamquam Catalepſeos cauſam accuſant, obſervata. Quem ſupra jam allegavimus *Jo. Fehr* r), praetorem narrat, a quodam maleferiato ſubdito aculeatis cavillis praeter modum petitum, tantopere excanduiſſe, ut ſubito, ac in ipſo tribunali adhuc ſedens catalepſi obrigeſceret, quaſi minitabundus &c. Similis eſt obſervatio, in *Hiera picra* s) uberius commemorata, de puella admodum ſomnolenta et moroſa, quae in prandio, ob pinguioris boli praeſumtionem a ſorore offenſa, ſubito obriguit, cum manu et cochleari ad patinam extenſa, irretorto oculo, quaſi indignabunda ſororem adſpiciens &c. Cum autem ſpirituoſa, uti ſola jam ad producendam Catalepſi ſufficiunt t), et animi adfectuum augeant impetum, jam iracundiam inter pocula enatam, praecipue

 Cata-

q) Obſerv. Medic. Lib. I. Cap. XII.

r) Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. I. Obſ. I. hiſt. III.

s) Seu Tractat. de Abſinthio pag. 59.

t) Quod infra, de corporeis Catalepſeos cauſis agentes, exponam.

Catalepſis ortui anſam praebere, facile eſt perſpectu. Cujus rei teſtem miſſis permultis, ſolum *Dolaeum* [u]), citare juvat. Triſtitiam quod attinet, praeter ipſa allata jam obſervata C. I, permulti Autores ut cauſam Catalepſeos eam enarrant [x]). Nec deſunt exempla acre adverſus alios *odium* Catalepſin eam induxiſſe. Rondeletius [y]) mentionem fecit viri, quem tam inſigniter oderat nupta, ut, quotiescunque eum vidiſſet, vel de eo audiviſſet, vel, quod mirum ſatis! ſaltem cogitaſſet, cataleptico paroxyſmo protinus fuerit correpta.

§. V.

Eodem fere modo terrorem gravem producendae Catalepſi parem eſſe, convictus credo. Iam in communi vita terrore prehenſos, obſtupeſcere, vocem eorum faucibus haerere, nec moveri poſſe, videmus. Qui igitur ubi validiſſimus fuerit, affectus, Catalepſeos, (ut verbis *Swietenii* [z]) utar) vera ex eo oritur diatheſis. Nec deſunt obſervata hoc aſſertum comprobantia. Ad Tulpii [a]) enim, aliorumque Obſervatorum exempla, nuperrime accedit illud, ab Ill. *Grunero* obſervatum. Cui Catalepſin, quae poſt terrorem a fulgure exorta erat, feliciter percuraviſſe

u) *Dolaeus* Encyclop. Medic. Lib. I. Cap. VII. p. 107. Quippe qui commemorat de cholerico annorum XXXVII, qui inter pocula rixans, tanta ira excandeſcebat, ut Catalepſi ſubito corriperetur, manumque ad excipiendum extenſam retineret, &c.

x) Henr. ab Heer l. c. Sauvages Path. meth. l. c.

y) Libr. III. Cap. XXX. p. 98.

z) Comment. ad Aph. Boerhaav. §. 1040. p. 317.

a) Obſerv. medicar. Libr. I. Cap. XXII. pag. 45.

viſſe contigit [b]). Pertinet huc, ut puto, Benivenii hiſtoria [c]) de viro, qui, ubi domum ſe recepiſſet et reſerato oſtio ad cubiculum aſcendiſſet, uxorem ibi ex partu languentem jacere videns, ſubito Catalepſeos inſultu deprehenſus eſt.

§. VI.

Nec minori jure, meditationem profundam diuque protractam, Catalepſeos cauſis ſubjunxit immortalis Batavorum Hippocrates Boerhaavius. Profundius enim meditantem obſervans, omnes ſaepiuſcule ejus ſenſus ſopiri, omnem memoriam ſilere, totumque corpus quieſcere, omnino invenies. *Neutonum*, tanta, profundaque meditatione abreptum fuiſſe, annales eruditorum referunt, ut nec intrantem amicum viderit, nec ſalutantem audiverit, quin, cum idem prandium, menſae appoſitum, clanculum devoraſſet deindeque ſe recepiſſet, hoc a ſe ipſo devoratum eſſe, putaverit. Quam profundiſſimam, diutius protractam rerum inveſtigandarum meditationem, omnino et Catalepſin inducere poſſe, permulti docent autores, in quorum numero ſunt Galenus et Fernelius, quorum obſervata autem jam ſupra Cap. I, II. laudata ſunt. Neque ſuſpicari *Socratem* ipſum hoc morbo detentum fuiſſe, abſonum eſſe puto. Nam is repertus eſt, inconniventibus oculis, atque ore immoto, a ſolis ortu, in alterum uſque ſolem [d]).

Rarum

b) *Gruner*. Semiotic. Patholog. Halae 1778. Part. II. §. 650. pag. 431. ſub not. b)

c) De abdit. morb. Cap. XLVI.

d) Licet enim *Foreſtus* lib. X. Obſ. LXI. ſententiae Auli *Gellii* ſubſcribat, qui Socratem ad fortuitas patientiae vires id facere conſueviſſe edixit,

Rarum adjicerem ac opuſculo inaugurali ſat dignum, Felic. *Plateri* obſervatum [e]), quo diſcimus, in promotione publica cum aliqui Doctoris titulo decorandi eſſent, unum ex candidatis, e nimia animi intentione in ſuam orationem, praegreſſis ſtudiis diurnis nocturnisque, ſubito catalepſi correptum eſſe [f]); ſed, an vera Catalepſeos ſpecies illa fuerit, extra omnis dubitationis aleam nondum poſitum eſſe, duco. Certius autem Catalepſin illorum praecipue meditationes excipere, qui rebus divinis plus juſto animo inhaerent, non una ratione munitus affirmo. Equidem hic non de ſimulatis iſtis loquor romanae eccleſiae Catalepticis, quorum unum baculo, inſtar medicaminis admoto, egregie percuraſſe contigit Rondeleto [g]), ſed illis, de quibus Fr. *Hoffmannus* [h]), *Zimmermannus* [i]), *Lieuthaud* [k]) et *Hirſchel* [l]) abunde diſſerunt.

§. VII.

Interdum et corporeae cauſae Catalepſin producunt. Quae cum partim ex ſupra allatis Cap. I. et II. hiſtoriis pateant, partim innumerae ſint, praecipuas modo tribus verbis repetere ſufficit.

edixit, non exiſtimo tamen omnes ſententiam veram habituros eſſe. Non videtur enim corporis humani naturae viribusque iſtiusmodi explicatio ſatis reſpondere.

e) *Obſerv.* libr. I. p. 27.

f) Similem caſum *Zacutus Luſitanus* libr. I. hiſt. 42. tradit.

g) Idem fere obſervavit *Foreſt.* l. c. Obſ. XLII. *Rondel.* l. c. p. 20.

h) Medic. Rat. Syſtem. Tom. IV. Part. III. Cap. IV. p. 150.

i) Von der Erfahrung, lib. IV. Cap. XII.

k) Synopſ. univ. prax. med. P. I. p. 153.

l) Von der Starrſucht §. 26. 27.

ficit. Quas ſi uno obtutu luſtrare velis, hic habes.

I) *Debilitas nervoſi ſyſtematis.* Quapropter ſexus ſequior prae potiori a Catalepſi corripitur. Licet enim omnis ſexus et aetas Catalepſi pateat, (nam pueros [m]), aeque ac puellas [n]), juvenes [o]), ac viros [p]) ſenesque utriusque ſexus ea laborantes [q]), obſervavere): numero rationem tamen Catalepticarum foeminarum ad maſculos Catalepticos, ut 5 : 2, multa multorum obſervata evoluturus, invenies.

II) *Primarum viarum vitia* [r]), vermes [s]), obſtructiones [t]), et omnia ea, quae haec producere novimus. Malum hypochondriacum et hyſtericum [u]), &c.

III) Sanguinis variae alienationes morboſae, orgaſmus [x]), plethora [y]), ſpiſſitudo [z]). Eorum-

m) Ephemerid. Nat. Cur. Dec. V. p. 195.

n) Frid. *Hoffmann* R. S. Med. Tom. IV. P. III. Cap. IV. Obſ. I. II.

o) Galen. Prorrhet. l. c.

p) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Obſ. I. Caſ. 3.

q) Iacotius ad Aphor. VII. lib. II. Hipp..Swieten. l. c. §. 1040., p. 316. Sylvius l. c. §. 10.

r) *Hirſchel* l. c. §. 9. p. 14.

s) v. *Swieten* l. c. §. 1040. Adolphi Godofr. *Reïnhardi* Diſſ. Inaug. 1780. Praeſid. *Beireis* de febribus bilioſis, tertianis continuis. In qua Exp. Autor §. XI. morbi cujusdam enarratum ivit hiſtoriam, qui deinde in Catalepſin complicatam mutatus eſt. Quam aegrotam (puella enim erat ſex annorum) refractiſſimis tartari emetici doſibus, poſtquam hoc remedio *aſcarides lumbricoideae*, trichuides et taenia expulſae erant, ſanaſſe, ei contigit. Marc. Donatus Hiſt. med. mirab. lib. II. Cap. II. *Benedictus* de Cur. morb. lib. II. Cap. 26.

t) *Hirſchel* l. c. p. 14.

u) *Boerhave* Aphor. l. c.

x) *Schenk* Obſ. l. c. *Foreſt.* l. c. Obſ. 42.

y) *Rondelet.* l. c. Cap. XX. p. 103.

z) *Foreſt.* l. c. Obſ. 42.

Eorumque cauſae et effectus, ut haemorrhagiae ſuppreſſae [a]), ſpirituoſorum nimius uſus [b]), vita ſedentaria [c]) &c.

IV) *Externa*, *quaelibet valida irritamenta*, ut frigus nimium [d]). Et in univerſum omnia ea quae epilepſiam [e]) et apoplexiam progignere ſolent, catalepſi quoque favent. Quae cum ab aliis jam ſatis expoſita ſint [f]), omnino tritam ſatisque notam materiam, uberius explicare taedet.

§. VIII.

Praeter ſolitas Catalepſeos cauſas jam dictas, innumerae ei occaſionem praebere poſſunt prorſus inſolitae. Rarum memoratuque ſatis dignum, eſt illud Celeb. D. *Kühn* obſervatum [g]), de pumilione quodam, qui purgante paululum irritante ſumto, novo ſemper paroxyſmo tentabatur. Ipſam, ſi placet, hiſtoriam, limitibus arctioribus circumſcriptam hic legas, velim: Ein Zwerg von 3 Fuſs und 2 Zoll, hatte, (auſſer den gewöhnlichen Kinderkrankheiten, die er alle leicht überſtanden,) bis in ſein 14tes Jahr, einen ſtarken Hängebauch gehabt, ohne aber dabey andre Zeichen der engliſchen Krankheit, oder verborgner Würmer

a) *Schroek* in Schol. ad *Helvigii* Obſerv. 59.

b) *Schraff* l. c. §. XVII. *Dolaeus* Encycl. med. lib. I. Cap. VII.

c) *Schraff* §. XVIII.

d) *Foreſt*. l. c. Obſ. 41.

e) *Hirſchel* von der Starrſucht, p. 13. §. 9.

f) Idem l. c. *Schraff* l. c. §. 17 ſequ. *Sauvages* Pathol. Meth. l. c.

g) Schriften der berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde, Berlin, 1780. I Band, pag. 367. ſub titulo Kurze Geſchichte einer Zwergfamilie.

mer an ſich zu haben. Nach dem 14ten Jahr hat er ohne Gebrauch bewährter Arzney, oder gewöhnlichen Quakſalbereyen, ſeinen dicken Bauch völlig verlohren. Er hat von Jugend auf nicht ſtark gegeſſen, deſto mehr Waſſer und Covent getrunken, welches er auch jezt noch fortſetzt. So bald nun ſein dicker Bauch eingefallen, und wieder natürlich geworden war, ſo hat er zwey wichtige Beſchwerden an ſich bekommen; theils kommt ihm manchmal plötzlich ein ſtarker Krampf ins rechte dicke Bein, ſo daſs er umſinkt; bald bekommt er an deſſen ſtatt die Starrſucht, (Catalepſis) woraus ihn der Vater, wenn er zugegen geweſen, durch Reibung und Erwärmung, in wenig Minuten zu ſich ſelbſt bringt. Man hat zu manchen Zeiten verſucht, *ihn mit der Jalappe zu reinigen, er hat aber jederzeit darauf den Paroxiſmus ſeiner Starrſucht bekommen*, und ſo bald er wieder zu ſich gekommen, öftere Vomitus, aber keinen Sedem gehabt. Non minus inconſueta ac ſingularis indolis cauſa illa erat Catalepſeos, quam laudatus *Hirſchel* [h]) l. c. §. 13. enarrat. Ich habe dieſelbe (Krankheit) bey einem Mann in Pohlen, der mit der polniſchen Plica behaftet war, entſtehen geſehn; ich glaubte hier würklich, daſs der Hauptſitz dieſer Krankheit im Kopf zu ſuchen ſey, und von den Unreinigkeiten herrühre, die in der Plica nach den Kopf gehn, wodurch das Gehirn in ſeiner Würkung geſtört werden könnte; ich befand mich auch in meiner Muthmaſſung nicht betrogen; denn nachdem ich

h) Von der Starrſucht, Berlin 1769.

ich das verwickelte Haar abſchneiden, und den Kopf mit kalten Waſſer öfters waſchen laſſen, verlohr ſich dieſe Krankheit gänzlich.

§. IX.

Quarum omnium, quotquot ſint, cauſarum, nonnullae ſunt occaſionales, aliae praediſponentes. Accidit interdum, ut quae primo praediſponens fuit, alterius paroxyſmi cauſa occaſionalis evadat, et v. v. Quum autem jam ſupra (C. III. §. II.), praeeunte Gaubio, laeſionum animalium cauſam univerſalem diximus eſſe laeſam officinam ſenſoriam, multisque eam modis laedi poſſe ſcias; paene innumeras etiam cauſas Catalepſeos exiſtere poſſe, in aprico eſt. De prognoſi et curatione Catalepſeos nil habeo, quod cognitis addere poſſim.